AUTHOR:

LAGERGREN, JONAS PETRUS

TITLE:

DE VITA ET ELOCUTIONE C. PLINII CAECILII ...

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1872

Master Negative #

91-80298-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87P72
EL

Lagergren, Jonas Petrus,
De vita et elocutione C. Plinii Caecilii Secundi scripsit Jonas Petrus Lagergren... Upsaliae, Typis descripserunt Edquist et Berglund, 1872.
183 p. 25 cm. (Upsala universitets Årsskrift 1871. Philosophi, språkvetenskap och historiska vetenskaper. V)

173657

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE VITA ET ELOCUTIONE

C. PLINII CÆCILII SECUNDI.

SCRIPSIT

JONAS PETRUS LAGERGREN.

Upsala Universitets Årsskrift. 1871.

Philosophi, Språkvetenskap och Historiska vetenskaper. V.

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSERUNT EDQUIST ET BERGLUND.

MDCCCLXXII.

De vita et elocutione C. Plinii Cæcilii Secundi.

Scripsit

J. P. Lagergren.

Si verum est non nihil interesse ad elocutionem scriptoris intelligendam cognoscere, quibus vitæ conditionibus usus sit ipse, non alienum existimandum est me, antequam ad ipsam elocutionem veniam, pauca de vita moribusque Plinii præponere.

C. Plinius [1]) Cæcilius Secundus Novi Comi natus est aut post medium fere annum DCCCXIV aut ante medium annum DCCCXV a. u. c. (p. Ch. n. ann. 61 aut 62) L. Cæcilio patre, matre Plinia, sorore Plinii majoris. Illo anno eum natum esse cognoscimus ex epistola VI, 20, 5, ubi in eruptione Vesuvii Montis (anno DCCCXXXII, a. d. IX Kal. Sept.) (p. Ch. n. 79) interituque avunculi describendis ipse narrat, se duodevicesimum annum tum egisse. Novi Comi autem, in municipio illo transpadano, eum esse natum, pro certo scimus ex multis locis ipsius epistolarum, velut ubi dicit, se circa Larium lacum possidere prædia paterna et materna [2]) "pluresque villas [3]), ubi Larium lacum suum vocat [4]), ubi commemorat, patriam ad Larium lacum sitam fuisse [5]), ubi municipem ejus loci se vocat [6]), et ex inscriptionibus, quibus Plinius indicatur Ouffentina tribu, quæ Novo-Comensis erat tribus, fuisse [7]). Constat præterea veterem illam gentem Cæci-

[1]) Hic Plinius *minor* appellari solet, ne quis propter nominum similitudinem eundem putet atque Plinium illum, qui *Naturalem Historiam* scripsit, hujus avunculum, qui ob eandem causam vulgo *major* vocatur.

[2]) 7, 11, 5. [3]) 9, 7, 2. [4]) 6, 24, 2. [5]) 4, 30, 1—2.

[6]) 6, 24, 5.

[7]) Cfr. de hac re I. Masson, "C. Plinii Secundi Junioris Vita ordine Chronologico digesta" et Mommsen, "Zur Lebensgeschichte des Jüngern Plinius", Hermes, Zeitschrift für Classische Philologie, Dritter Band, 1869, quos præcipue auctores ego in vita Plinii conscribenda secutus sum.

liam jam Cæsaris ætate Novi Comi magna auctoritate floruisse [1]), ac Pliniam quoque gentem Novi Comi sedes suas habuisse ex eo apparet, quod Plinius narrat, se circa Larium lacum possidere prædia materna [2]), quamobrem prorsus non videtur posse in dubium vocari, quin Plinius Novi Comi natus sit, quamquam non defuerunt, qui eum Veronensem existimarent. Si quis autem quæsiverit, unde Plinius nomen invenerit, cum patri nomen esset Cæcilio, Mommsenius [3]) admodum probabiliter ostendit, eum nomen accepisse a Plinio avunculo tum, cum ab eo adoptaretur (p. Ch. n. 79).

Hic autem Plinius haud parvis naturæ fortunæque muneribus ornatus jam prima pueritia magna calamitate ac dolore afflictus est, quod pater ei est præmatura morte præreptus, post quod tempus Plinius in tutelam pervenit Verginii Rufi [4]), optimi viri et honestissimi, cujus erga se beneficia Plinius grato pioque animo prædicavit. Ac sane dignus fuisse Rufus videtur, cujus memoriam magna observantia ac prope religione Plinius per totam vitam coleret, cum ipse Plinius ingenue fateatur, illum sibi "parentis adfectum exhibuisse" [5]). Quod si desiderium doloremque patris amissi quodam modo consolari poterat benevolentia et caritate Verginii Rufi tutoris sui, non minori ei utilitati et præsidio fuit Plinius major avunculus, quem hic propter eximias virtutes religiose reverebatur ac pæne pro parente altero habebat [6]). Ille enim cum assiduo litterarum studio tum morum integritate idoneus erat, quem ducem sequeretur et exemplum sibi ad imitandum proponeret Plinius adolescens, qui præterea ex multiplici et copiosa doctrina avunculi magnam utilitatem cepit. Ac nescio an illo præcipue moderatore hujus tener mollisque animus imbutus sit honestate illa et liberalitate, quæ pæne semper in vita ejus elucebat. Alios multos, quorum ex usu et familiaritate uberrimos fructus ceperit Plinius, hic longum est enumerare. In his autem erant Corellius Rufus (1, 12) et Arulenus Rusticus (1, 14). Gratia igitur curaque tantorum virorum adjutus Plinius, cum nec celeritate quadam ingenii careret et optimis præceptoribus domesticis uteretur, tam celeres in litteris progressus fecit, ut non amplius quattuordecim annos natus Græcam tragoediam componeret. Quam tragoediam etiamsi non scripserit nisi sui exercendi causa, tamen res est documento, jam mature animum Plinii admodum excultum fuisse.

---

[1]) Catull. 35. [2]) 7, 11, 5. [3]) l. l. pag. 60 sequ. [4]) 2, 1, 8.
[5]) 2, 1, 8.
[6]) Cfr 5, 8, 5. "Avunculus meus idemque per adoptionem pater." Hunc enim Plinium ab avunculo adoptatum esse, supra indicavi.

Prima vero puerili institutione absoluta, cum togam virilem sumpsisset, ut omnes fere juvenes Romani, qui quidem rempublicam capessere et ad summos reipublicæ honores pervenire vellent, rhetorum scholas frequentare coepit, ut ad dicendum se conformaret. Tum Niceten Sacerdotem audiebat et Quintilianum [1]), qui eo tempore maxima laude florebat. Philosophia autem imbutus est a Musonio [2]), qni sectam Stoicorum sequebatur, cui disciplinæ ipse Plinius erat addictus, quamquam non omnia ejus præcepta amplexus esse videtur. Illorum quidem præceptorum institutione usus tam cito ad eam maturitatem pervenit, ut undevicesimo ætatis anno dicere in foro inciperet [3]) (anno 80 aut 81 p. Ch. n.). Quam causam tum egerit non liquet, sed ex alia quadam causa, quam adolescentulus non sine prospero eventu egit [4]), cernere licet eum ad dicendum aptum fuisse ac mature magnam sibi auctoritatem eloquentia peperisse.

Viro autem tanta dicendi facultate prædito facile contigisse, ut viam sibi ad honores reipublicæ muniret, consentaneum est, præsertim cum non solum clarissimorum civium animos, sed etiam nescio quo modo Domitiani, cui alioquin omnis virtus esset suspecta, gratiam et favorem primo sibi conciliasset. Forsitan crediderit "pessimus" iste imperator, Plinium, qui molli admodum et flexibili animo esset, facilem fore flagitiorum suorum ministrum, id quod prorsus aliter evenit. Plinius enim officii memor malebat otio in prædiis suis frui quam improbis consiliis principis obsequendo ad splendidissimas dignitates pervenire. Utcumque est, Domitianus primo favit Plinio eumque ad honores produxit. Quibus autem honoribus Plinius sit functus, si quæritur, cognoscimus ex inscriptionibus quibusdam a Mommsenio in illa, quam supra laudavi, disputatione descriptis [5]). Inde apparet, eum Fl. Divi T. Aug. fuisse, (quod munus eum Comi in patria urbe obiisse verisimile putat Mommsenius [6]), X vir. stl. jud., Tr. Mil. Leg. III Gall., sevir. Equ. R. Quibus muneribus quo tempore functus sit non satis constat, nec ullam de iis ipse mentionem fecit, nisi quod indicavit, se Domitiano imperatore [7]) tribunum in Syria adolescentulum militasse [8]), in qua militia Euphraten [9]) et Artemidorum [10]) philosophos audiebat. Quamdiu in Syria militaverit, incertum est, sed eum certe sex menses stipendia fecisse est verisimile [11]). Plinius deinde, si rationes Mommsenii sequimur, quæstor fuit anno 89 p. Ch. n. ex Kal.

---

[1]) 2, 14, 9. 6, 6, 3. [2]) 3, 11, 5. [3]) 5, 8, 8.
[4]) 1, 18, 3.
[5]) Cfr. Orelli Inscr. Tom. I. 1172. Henzen pag. 124.
[6]) l. l. pag. 100. [7]) 8, 14, 7. [8]) 3, 11, 5. 10, 87 (19), 1.
[9]) 1, 10, 2. [10]) 3 ,11, 5. [11]) 4, 4, 2.

Jun. usque ad Kal. Jun. ann. 90 p. Ch. n., tribunus plebis anno 91 p. Ch. n. ex a. d. IV Id. Dec. ad a. d. IV Id. Dec. 92 p. Ch. n., prætor anno 93 p. Ch. n. Anno autem 94 aut 95 p. Ch. n. præfectus ærarii militaris factus est, quod munus obtinuisse videtur usque ad extremum annum 96 aut 97 p. Ch. n., nam anno 98 p. Ch. n. præfectura Ærarii Saturni ei est delata a Nerva et Trajano. Post præfecturam Ærarii Saturni, cum anno 100 p. Ch. n. consulatum iniisset et auguratum ab imperatore Trajano anno fere 103 aut 104 p. Ch. n. impetrasset, curator Alvei Tiberis anno fere 105 p. Ch. n. est factus[1]).

In illis vero muneribus obeundis num quid grave magnumque Plinius effecerit, plane ignoramus. Nullam enim ipse de iis mentionem facit, præterquam quod narrat, se quæstorem Cæsaris fuisse[2]), quietem suam in tribunatu laudat[3]), prætorem se ludos fecisse[4]) et modestum fuisse indicat[5]).

Eum autem consulatum ineuntem Panegyricum, de quo alio loco dicam, Trajano dixisse omnibus est notum. Postremo prudentiæ Plinii, cum a Trajano in Bithyniam et Pontum legatus pro prætore consulari potestate missus esset (anno fere 112 p. Ch. n.), latus campus patebat, si tam peritus fuisset provinciæ administrandæ, quam multi existimarunt Plinii laudatores. Ego contra mihi videor in epistolis illis ex Bithynia (Romam) ad Trajanum missis inscientiam legum rerumque civilium invenire, cui vix sit ignoscendum in viro tam grave munus obtinente. Sed ad rem redeamus.

In provincia igitur illa (Pontus et Bithynia una provincia erat), quæ ante a proconsulibus annuis erat administrata, rerum ordinem omnino fuisse perturbatum ex multis epistolis a Plinio ad Trajanum missis apparet. Propter inconstantiam enim et temeritatem proconsulum multæ factiones ortæ erant (hetærias vocabant), quæ ad "illicitos coetus" convenire solebant sæpe civitatis perturbandæ causa aliisve malis consiliis ductæ[6]). Multi autem provinciales damnati vel relegati, cum novus in provinciam proconsul venerat, poenas nescio quo modo effugiebant, qua de re Plinius sæpe in epistolis ad Trajanum missis queritur. Præterea rationes publicæ admodum perturbatæ fuisse magnæque pecuniæ in publicis operibus inchoatis nec perfectis con-

[1]) Non nihil tamen ab his rationibus abhorrent Massonii illius, quem supra commemoravi.

[2]) 7, 16, 2. [3]) Pan. 95. [4]) 7, 11, 4. [5]) Pan. 95.

[6]) Ad tales coetus Christianos quoque coire Plinio in suspicionem venerat, quod solerent stato die ante lucem convenire carmenque Christo dicere secum invicem 10, 96 (97), 7.

sumptæ inutiliter esse videntur[1]). Ne pecunias quidem publicas satis diligenter exegerant proconsules, qui ante Plinium provinciam obtinuerant[2]). His aliisque ejusdem generis vitiis ut mederetur et perturbatas res provinciæ ordinaret, Plinius in Bithyniam et Pontum a Trajano missus est "legatus pro prætore consulari potestate." Quæ potestas qualis fuerit plane nescimus, nisi hoc titulo indicatur, Plinium majore potestate ornatum fuisse, quam habuerant proconsules eidem provinciæ antea præfecti. Ut autem incertum est quamdiu Plinius provinciæ illi præfuerit, quamquam eum certe plus quam annum hoc munere functum videmus, ita non magis liquet quando mortuus sit aut ubi, sed eum ad 46 ætatis annum in vita fuisse, pro certo scimus. Hæc fere habui dicere de vita publica Plinii, cujus adumbrationem propter spatii angustias quam brevissimis finibus circumscribere necesse erat. Quam ob rem si quis accuratius cognoscere velit, quibus causis nitantur illæ rationes, iterum admoneo, ut legat disputationes, quas supra laudavi, Mommsenii et Massonii, quorum uterque cum summa cura et sagacitate hanc rem tractavit.

Nunc qualis fuerit in privata[3]) vita Plinius, breviter exponam. Ac supra quidem quantos quamque celeres in litteris progressus faceret indicavi, quod idem apparet ex multis locis, quos in epistolis suis attulit, optimorum scriptorum, velut Aeschinis[4]), Demosthenis[5]), Thucydidis[6]), Xenophontis[7]), Homeri[8]), Euripidis[9]), Catulli[10]), Livii[11]), Ciceronis[12]), aliorum, quos hic longum est enumerare. Cumque tam studiosus esset, ut etiam inter venandum stilum et pugillares secum ferret[13]), non est mirum eum in dicendi arte, quippe cui præcipue studeret, eo usque pervenisse, ut cum Demosthene et Cicerone, quos sibi ad imitandum proposuerat in dicendo, compararetur. Ut autem multum dicendo valebat, ita numquam recusabat, quin facundia sua justas innocentium causas tueretur, semperque paratus erat injurias probis ab improbis illatas exsequi. Plerumque quidem in causis privatis apud centumviros[14]) agendis versatus esse videtur, quamquam non dubitavit

[1]) 10, 37 (46). [2]) 10, 54 (62).

[3]) Egregie de privata Plinii vita scripsit Doeringius, quem ego magna ex parte secutus sum, in præfatione ad editionem Epistolarum. Nonnulla addidit Tanzmann, "De C. Plinii Cæcilii Secundi vita, ingenio, moribus quæstio", Breslau 1865, sed ea omnia leviora sunt. Perpaucas de vita Plinii quæstiones in disceptationem vocavit Geisler, "De Plinii minoris vita", Breslau 1862.

[4]) 9, 26, 11. [5]) 4, 7, 6. 9, 26, 8. [6]) 4, 7, 3. 5, 8, 11.

[7]) 7, 32, 2. [8]) 1, 7, 1. 1, 20, 22. 5, 19, 2. 9, 13, 20 al.

[9]) 4, 11, 9. 4, 27, 6. [10]) 4, 14, 5. [11]) 6, 20, 5.

[12]) 1, 20, 7. 8. 10. 7, 17, 13. [13]) 1, 6, 1.

[14]) 1, 18, 3. 6, 12, 2. 6, 33, 2.

publicas quoque causas suscipere [1]). Longe maximam autem eloquentiæ laudem Plinius sine dubio comparavit ex quinque causis publicis in senatu actis, quas ipse [2]) enumeravit. Quarum causarum primam egit anno fere 93 p. Ch. n. advocatus cum Herennio Senecione a senatu provinciæ Bæticæ datus contra Bæbium Massam [3]), notum istum delatorem [4]). Deinde anno 100 p. Ch. n. mense Januario [5]) una cum Tacito aderat Afris accusantibus Marium Priscum, qui pro consule præfuerat Afris. Tum anno 101 p. Ch. n. provinciæ Bæticæ questuræ de proconsulatu Cæcilii Classici advocatus ex senatus consulto datus est provincialium ipsorum rogatu [6]). Tandem anno fere 103 aut 104 (ex sententia Massonii a. 101 p. Ch. n.) Julium Bassum prospero eventu defendit contra Bithynos accusantes, quod in provincia administranda munera cepisset [7]). Postremo defensionem Rufi Vareni [8]) proconsulis contra Bithynos, qui eum accusaverant, suscepit [9]). Præterea anno fere 97 p. Ch. n. Publicium Certum, præfectum ærarii et brevi consulem futurum, a quo delatus Helvidius Priscus occisus erat a Domitiano, acriter accusavit [10]). Alio loco [11]) se Clarium nescio quem defendisse indicavit. Illæ omnes orationes simul cum laudatione quadam Vestricii Cottii [12]), clari adolescentis, quam laudationem in eodem genere scriptam nonnulli existimarunt quo Taciti "de vita Agricolæ" libellum, iniquitate temporum non sine aliquo litterarum latinarum detrimento perierunt. Nam ex opima illa et fucata gratiarum actione, quam consulatum iniens Trajano in senatu dixit, non licet existimare, qualis fuerit eloquentia Plinii, quod ipsum Panegyrici argumentum altam atque elatam orationem desiderat. Et quamquam vera illa ars dicendi, qualis florente libera republica vigebat, jam pridem erat exstincta, tamen ex magnis laudibus, quibus Plinium extulerunt multi et eruditi et incorrupti existimatores, colligere licet, orationes Plinii certe cum declamationibus æqualium quorundam comparatas satis egregias fuisse. Neque vero orationes modo Plinius scripsit sed etiam carmina condidit atque, ut omnibus litterarum studiosis favebat, ita poëtis præcipuam benevolentiam præstabat. Ipse gloriatus

[1]) 2, 5. 6, 18. [2]) 6, 29, 8—11. [3]) 3, 4, 4. 7, 33, 4.
[4]) Tac. Hist. 4, 50. Juv. 1, 35. [5]) 2, 11, 10. [6]) 3, 4, 2—4.
[7]) 4, 9. 5, 20, 1. [8]) 5, 20.
[9]) Hæc causa quo anno sit acta incertum est. Massonius putat anno 102 p. Ch. n., Mommsenius non ante annum 105 disceptatam esse. Id tantum constat ex epistola 6, 13, 2, causam susceptam esse principe absente.
[10]) 9, 13. Quam tum habuit orationem Plinius postea edidit inscriptam: "De ultione Helvidii."
[11]) 9, 28, 5. [12]) 2, 7. 3, 10.

est [1]), se "numquam a poëtice alienum fuisse, sed quattuordecim natum annos Græcam tragoediam scripsisse et e militia [2]) redeuntem in Icaria insula ventis detentum latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque insulam fecisse, deinde Heroo se expertum esse, tum addidisse iambos facilitate corruptum, inde plura metra temptasse, postremo unum separatim hendecasyllaborum volumen absolvisse." Quod si dolendum est omnes ejus orationes præter Panegyricum illum in Trajanum periisse, nullum aut certe parvum est detrimentum, quod carmina ejus oblivione sunt obruta. Quamquam enim ipse affirmavit, "Hendecasyllabos suos legi describi cantari etiam et a Græcis quoque", tamen est dubitandum, num præter ipsum et fortasse uxorem ejus litteratam [3]) his carminibus aliquis delectari potuerit, si quidem conjecturam facere licet ex iis, qui adhuc epistolis interpositi exstant, versiculis duris atque inconditis. Neque vero ego ignoro, nonnullos fuisse malos maxime poëtas, qui Plinium admirati prorsus aliud de versibus ejus judicium facerent [4]), sed dubitare licet, an illi, ut gratiam Plinii sibi conciliarent, aliisve minus honestis consiliis ducti ad indignam adulationem descenderint. Alii enim neque ii, credo, imprudentiores acriter Plinium reprehenderunt, quod exuta senatoria gravitate et consulari dignitate neglecta lasciviam Catulli imitaretur, ac certe admodum diversa fuisse existimatorum de virtutibus aut vitiis carminum Plinianorum judicia luculenter apparet [5]).

Plinium autem, qui tantopere litterarum studiis delectaretur, strepitum urbis et labores a studiis alienos, quoties liceret, fugisse, consentaneum est. Ac sæpe queritur, se "frigidis negotiis distringi" [6]) operamque suam urbanis et rusticis negotiis absorberi [7]). Eo autem majorem delectationem cepit, quoties ei licebat otio et tranquillitate frui in amoenissimis villis, quas venuste et poëtice descripsit [8]). Proinde ne miremur, eum vehementer optare, ut veniat aliquando tempus, quo sibi per ætatem liceat in otio perpetuo litteris totum se dare [9]), quod quidem optatum numquam consecutus esse videtur. E contrario tam occupatus semper et in negotiis publicis gerendis et in privatis officiis obeundis fuisse videtur, ut mirandum sit, Plinium, qui a natura corpore imbecillo instructus esset atque infirma valetudine laboraret, tantis molestiis non statim succubuisse. Nihilo tamen secius affirmat, se tempus otii "inter pugillares ac libellos transmisisse" [10]), quod pluris æstimandum est in homine tot tantisque laboribus distento.

[1]) 7, 4.
[2]) Supra diximus, eum in Syria tribunum militasse.
[3]) 4, 19, 4. [4]) 4, 27, 4. [5]) 5, 3. [6]) 1, 9, 3. 9, 2, 1.
[7]) 7, 30, 2. [8]) 2, 17. 5, 6. [9]) 4, 23, 4. [10]) 9, 6, 1.

Sed ne longus sim in studiis Plinii describendis, jam, quales mores ejus fuerint, videamus. Primum igitur Plinius multa veræ innocentiæ documenta et liberalitatis non solum in privatos homines sed etiam in universas urbes edidit[1]). Comensibus præcipue municipibus suis regalem pæne munificentiam præstitit, cum iis sestertium sedecies conferret[2]), quam pecuniam ita distribuisse videtur, ut quingenta milia sestertium in alimenta ingenuorum et ingenuarum[3]), centum milia sestertium in tutelam bibliothecæ, quam ipse Comi dedicaverat, daret. Quod relinquebatur ipsius bibliothecæ pretium videtur fuisse. Cum autem schola carerent Comenses municipes et liberos erudiendos Mediolanum mittere cogerentur, Plinius erat paratus tertiam partem conferre pecuniæ ad præceptores conducendos necessariæ[4]). Thermas quoque Comi eum sua pecunia exstruxisse et in ornatum earum trecenta milia sestertium, in tutelam ducenta milia dedisse, ex inscriptione illa, quam sæpius commemoravi, discimus. Cum autem Plinius id ante omnia spectaret, ut æternitati suæ consuleret et immortalitati, in alimenta libertorum suorum legavit decies octingenta sexaginta sex milia sexcentos sexaginta sex nummos[5]), ut gratam sui memoriam ad posteros quoque propogaret, constituitque, ut libertis illis mortuis annua usura pro hac magna pecunia accepta in epulo plebi urbanæ quotannis dando consumeretur. Alias cum signum Corinthium invenisset aptum, quod in patria celebri quodam loco poneretur, id emit, ut in templo Jovis collocaret[6]), ac Tiferni Tiberini, quod oppidum Plinium patronum cooptaverat multisque honoribus auxerat, templum sua pecunia exstruxit[7]), cumque olim haruspicum admonitu in prædio quodam suo ædem Cereris refecturus esset, quod "nullum in proximo erat suffugium aut imbris aut solis", porticus addere constituit ad usum et commoditatem hominum ædem celebrantium[8]).

Neque vero publica modo munificentia Plinii permagna erat, sed etiam multis amicis privatis haud exiguas pecunias dedit, velut Romatio Firmo, municipi et condiscipulo et contubernali suo, cui ad implendas equestres facultates trecenta milia nummum obtulit[9]). Metilio Crispo, municipi suo, cui equestrem ordinem impetraverat, proficiscenti aliquo quadraginta milia nummum ad instruendum se ornandumque donavit[10]). Valerium Martialem secedentem aliquando "viatico est prosecutus"[11]).

[1]) Quam is imaginem veræ liberalitatis animo concepisset, ipse aperte indicavit 9, 30. [2]) 5, 7, 3.
[3]) 7, 18, 2. ibid. invenies, quo consilio caverit, ne aut sors dilaberetur aut in posterum incertus reditus esset.
[4]) 4, 13, 5. [5]) Cfr. Inscr. 1. [6]) 3, 6. [7]) 4, 1, 5.
[8]) 9, 39. [9]) 1, 19, 2. [10]) 6, 25, 3. [11]) 3, 21, 2.

Filiæ autem Quintiliani, cum Nonio Celeri nuptura esset, quinquaginta milia nummum contulit ac plus quidem se collaturum fuisse, affirmavit, nisi veritus esset, ne majus munus recusaretur[1]). Calvinæ amici sui cujusdam filiæ, cujus patri antea nescio quantam pecuniam obtulerat, nubenti in dotem centum milia nummum contulit[2]). Ne nutricis quidem suæ oblitus est, sed ei dedit agellum centum milium nummum[3]). Quamque innocens fuerit ex eo quoque apparet, quod, cum vindemias negotiatoribus vendidisset neque fructus vindemiarum pretium æquaret, omnibus partem pretii, quo quisque emerat, concessit[4]). Quærat aliquis, unde pecuniæ redierint ad tot largitiones faciendas tantosque sumptus sine detrimento fortunæ suppeditandos. At Plinius et a parentibus, quorum solus fuit heres, amplissimos et fructuosissimos agros circa Larium lacum sitos hereditate acceperat[5]) et ab avunculo, qui adoptione ad sororis filium fortunam suam transtulerat, magnis opibus erat locupletatus, atque ex permultis villis, quas in epistolis suis commemoravit[6]), conjicere licet, haud exiguam[7]) Plinii rem familiarem fuisse. Si simul cogitamus, quantæ ei hereditate relictæ sint pecuniæ ab amicis, quos permultos habebat, velut ab Aciliano[8]), a Sabina[9]), a Pomponia Galla[10]), a Saturnino[11]), a Julio Largo[12]), aliis, et si consideramus quam frugi[13]) et continens fuerit Plinius, desinemus mirari, unde pecuniæ ad sumptus tam immensos suppeditandos redierint.

Plinius autem ut prodiga liberalitate insignis erat, ita magna comitate amicos commendabat et auctoritate sua sublevabat, calamitatibus afflictos, ut erat ad misericordiam propensus, juvabat et consolabatur, magna clementia et humanitate in servos utebatur. Quanta enim anxietate Sextum Erucium, cui quæsturam impetraverat et latum clavum, commendare studebat[14]), quantopere metuebat, ne Julius Naso amicus in honoribus petendis repulsam ferret, cum multos eosque bonos competitores haberet[15]), quam paratus semper erat ad causas amicorum defendendas! Quanta vero sollicitudine affectus assidebat Aristoni[16]) ægroto, quanto cum suo ipsius periculo Artemidoro philosopho, viro quidem claro atque integro, sed imperatori Domitiano, cui omnis virtus erat suspecta, inviso, gratuitam dedit pecuniam, quam

[1]) 6, 32, 2. [2]) 2, 4, 2. [3]) 6, 3, 1. [4]) 8, 2.
[5]) 7, 11, 5. [6]) 2, 17. 5, 6, 45.
[7]) Ex agris solum in Etruria sitis reditus quadringenta milia sestertium excedebant 10, 8 (24), 5.
[8]) 2, 16, 1. [9]) 4, 10, 1. [10]) 5, 1, 1. [11]) 5, 7, 1.
[12]) 10, 75 (79), 2.
[13]) "Quod cessat ex reditu frugalitate suppletur" 2, 4, 3.
[14]) 2, 9, 2. [15]) 6, 6. [16]) 1, 22.

erat ipse mutuatus [1]); quantum mærorem ei audita mors filiæ Fundani amici attulit, quam luctuose deflevit mortem filiæ, lugentem patrem est commiseratus! [2]). Ac parem fere dolorem percepit ex præmatura morte Julii Aviti [3]), gravissimamque jacturam se fecisse, ingenue fatetur, cum Corellius Rufus voluntaria morte e vita decessisset [4]). In servos autem quanta clementia usus sit, ea res est documento, quod servos magna facilitate manumittebat, testamenta eorum ut legitima servabat [5]) iisque permittebat, ut peculio libere fruerentur et ad arbitrium ipsorum uterentur. Quid? quod nomen ipsum "servi" respuisse videtur, cum miseros illos homines non "servos" sed "suos" soleret appellare, nec umquam oblitus est servos quoque homines esse [6]).

Jam vero Plinius omni vacuus invidia summa æquitate et justitia meritis laudibus extulit studia æmulorum, etiamsi periculum erat, ne ab iis fama ipsius obscuraretur. "Neque enim", inquit ipse [7]), "ego, ut multi, invideo aliis bono, quo ipse careo, sed contra sensum quendam voluptatemque percipio, si ea, quæ mihi denegantur, amicis video superesse." Hæc invidiæ vacuitas multis locis elucet, velut ubi æquis justisque testimoniis Maximum [8]) procuratorem et Gavium Bassum [9]), oræ ponticæ præfectum, est prosecutus, ubi simpliciter virtutes Euphratis philosophi [10]), moresque et ingenium Titinii Capitonis [11]), prudentiam et pudorem Junii Aviti [12]) prædicat. Nec minus luculenter inde apparet, quod aperte lætabatur, si quis libello præclare scripto vel causa prospere acta vel re bene gesta famam et laudem erat consecutus, quodque juvenes suæ ætatis adhortabatur, ut studia colerent, neve quæ scripsissent edere dubitarent [13]).

Ad religionem vero si animum advertimus, Plinium deos et pie colendos existimasse et ipsum religiose coluisse, ex multis locis intelligimus. Nam præterquam quod nova templa diis exstruxit et vetustate sublapsa refecit, quam pie dubitavit, possetne salva religione ædes Matris Magnæ Nicomediæ transferri [14]), quam religiose diebus feriatis deos precatus est, ut Trajanum incolumem servarent, cujus in salute incolumitatem reipublicæ positam esse arbitrabatur [15]), id quod non fecisset, nisi persuasum habuisset, esse numen divinum, cujus consilio et

[1]) 3, 11, 2. [2]) 5, 16. [3]) 5, 21 (9), 3. [4]) 1, 12, 1.
[5]) 8, 16.
[6]) Cfr. 5, 19, 2. 9, 21, ante omnia autem præclaras et excelso humanoque animo dignas sententias, quas 8, 16 pronuntiavit.
[7]) 1, 10, 12. [8]) 10, 85 (17). [9]) 10, 86 (18), 1. [10]) 1, 10.
[11]) 1, 17, 3. 8, 12, 1. [12]) 8. 23. [13]) 1, 13. 2, 10. 8, 4. al.
[14]) 10, 49 (58). [15]) 10, 14 (9). 10. 35 (44). 10, 52 (60).

sapientia omnia regerentur et conservarentur. Qua persuasio illis temporibus satis rara erat ac potius ea opinio pervulgata, res humanas diis curæ non esse omniaque fato quodam et incertis fortunæ casibus administrari. Plinium contra vera pietate sinceraque erga deos reverentia imbutum fuisse nonne manifestum est ex eo, quod deorum opera fundatam libertatem esse dixit [1]), quod multis locis pietatem Trajani simpliciter celebrat [2]), quod sententias pronuntiat ne Christianam quidem religionem profitente homine indignas, velut: "Animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et sanctitate lætari, gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit" [3]). Vehementer tamen errarunt, qui arbitrati sunt, Plinium clam religioni Christianæ fuisse addictum, quemadmodum injuste fecerunt, qui Plinium vituperarunt, quod neglecta æquitate innataque clementia exuta pro prætore in Bithyniam a Trajano missus crudeliter in Christianos consuleret. Hi enim plane ignorare videntur, quam civitati periculosam omnes fere Romani illo tempore existimaverint "superstitionem", quam vocabant, Christianorum, qui propter clandestinos coetus, de quibus supra dixi, erant suspecti nec raro cum Judæis seditiosis et turbulentis ob eamque causam invisis confundebantur. Magna autem illa de vi et potentia deorum in rebus humanis opinio Plinium nonnumquam ad ridiculam et anilem superstitionem adduxit, quam ne celare quidem conatur, sed compluribus locis manifestam facit [4]).

Sed ad rem redeamus. Plinius igitur, cum natura tam benevolus esset, ut ei fortasse non injuria nimiam animi mollitiam exprobrarint, mitia omnino de hominum erroribus vitiisque judicia faciebat, eumque "optimum et emendatissimum putabat, qui ceteris ita ignosceret, tamquam ipse quotidie peccaret" [5]). Neque tamen non excanduit ira, ubi humile aliquid, turpe, foedum videbat. Implacabili enim odio ingenuaque indignatione incensus nequitiam, impudentiam, improbitatem Reguli perstringit [6]), libere invehitur in Pallantem et adulationes humiles senatus corripit [7]), acriter avaritiam suæ ætatis et pecuniæ cupiditatem vituperat [8]), acerbe reprehendit insolentiam et contumaciam juvenum [9]).

Neque vero Plinius, etiamsi concedendum est multis et magnis virtutibus insignem fuisse, vitiis et erroribus vacabat. Nimis enim gloriæ cupidus obnoxius erat vanitati et jactationi honesto viro et constanti indignis. Nam præterquam quod ipse munificentiam suam et beneficia ce-

[1]) Pan. 8. [2]) Pan. 52. [3]) Pan. 3. [4]) 1, 18. 5, 5, 5. 7, 27.
[5]) 8, 22, 2. [6]) 1, 5. 2, 20. 4, 2. 4, 7. [7]) 8, 6.
[8]) 9, 30, 4. [9]) 8, 23, 3.

lebrat et aperte indicat sibi gratum esse, "iis quæ honeste fecisse se credat testificationem quandam et quasi præmium accedere"[1]), præterquam quod amico cuidam mandavit, ut in basi marmorea, quæ Corinthium signum a Plinio in æde Jovis positum sustineret, nomen suum honoresque incideret[2]), quantam ostentationem id præ se fert, quod gloriose affert carmina Martialis[3]) et Sentii Augurini[4]) in suam laudem composita, quod eorum potissimum scriptorum libros commemorat, quibus ipsius laudes contineantur[5]). Libenter quoque gloriatur de vi eloquentiæ suæ[6]), inepte lætatur, quod nomen suum una cum Taciti, quem valde admiratus est, nomine in ore atque sermone sit vulgi[7]), delectatur civium cupiditate se dicentem audiendi[8]), frequenter se prædicat imitatorem Demosthenis[9]), Ciceronis æmulum[10]), neque dubitat dubias Panegyrici sui laudes ipse tollere[11]). Hæc autem omnia forsitan aliquam excusationem habeant considerantibus, Plinium solum virtutis et studiorum præmium in memoria posteritatis positum esse arbitratum. Præterea in epistolis ejus non desunt veræ modestiæ exempla. Satis enim moderate fatetur, se ne discipulum quidem Taciti debere dici[12]), desidiosissimum se ipse dicit cum avunculo comparatum[13]), ingenue concedit, se versus Arrii Antonini æmulantem ab archetypo labi et decidere[14]) seque fortasse in omni re perquam exiguum sapere[15]), modeste optat, ut senex saltem ingenium Ciceronis aliqua ex parte assequi possit[16]). Quod vero suam quandam orationem comparavit cum orationibus Demosthenis et Aeschinis ac pæne illis anteposuisse videtur[17]), quod versiculos suos, quos pessimos fuisse (de iis, qui etiam nunc manent, conjecturam facio) vix ipsum quidem fugere potuit, magnis laudibus extulit, eosque dixit legi, describi, cantari, cithara et lyra personari[18]), quod Tacitum impense rogavit, ut orationem pro Bæticis contra Bæbium Massam habitam historiarum libris insereret[19]), ea nimiæ sunt arrogantiæ et pæne impudentiæ.

Non sine causa id quoque Plinio nonnulli tribuerunt vitio, quod non satis amans libertatis ignave fugeret iras principum iisque nimium obsequium præstaret. Nam nemo quidem possit negare, Plinium in Panegyrico modum in virtutibus Trajani prædicandis transiisse[20]), et tum in illa oratione tum in epistolis nonnullis[21]) ex Bithynia ad Trajanum

1) 5, 1, 13. 2) 3, 6, 5. 3) 3, 21. 4) 4, 27.
5) 9, 8. 9, 31. 6) 9, 23, 1—2. 7) 9, 23, 3. 8) 4, 16.
9) 1, 2, 2. 10) 1, 2, 4. 1, 5, 12. 4, 8, 4. 11) 3, 18.
12) 8, 7, 2. 13) 3, 5, 19. 14) 5, 15 (10). 15) 3, 6, 1.
16) 4, 8, 5. 17) 4, 5. 18) 7, 4, 9. 19) 7, 33.
20) Cfr. Pan. 30—32. 40. 57. 59—80.
21) 10, 10 (5), 2. 10, 8 (24), 1. 10, (31) 40, 1.

missis sententias inesse plenas immodicæ adulationis ac pæne servilis erga Trajanum et Nervam reverentiæ. At primum virtutibus Trajanus magnam sui omnibus admirationem injecit, deinde Plinius, quippe qui flexibili animo esset, facile assuevit dominationem principum tolerare, dummodo is, qui obtinebat imperium, cum clementia et humanitate in cives exerceret. Ac sine dubio omnis spes Plinium destituerat posse umquam restitui pristinum rerum statum et antiquam, qua florente republica uterentur Romani, libertatem. Nam qui fieri potuit, ut ad tantam spem erigerentur aut omnino libertatis amore imbuerentur animi civium, qui jam pridem assuevissent videre civitatem unius arbitrio et libidini subjectam licentia effrenata immanique sævitia crudelissimorum tyrannorum dilaceratam, cum pro virtutibus haberentur nefaria flagitia, cum omnibus fere viris honestis et excellentibus periculum capitis immineret, impia delatorum turba in optimum quemque et ingeniosissimum civem grassante, dum flagitiosissimi et teterrimi homines gratiam principum summasque dignitates assequuntur. Torpebant omnino hoc civitatis statu animi et quælibet flagitia æquo animo pati discebant cives. Præterea non est silentio prætereundum non deesse in epistolis Plinii locos, qui ostendant, eum, ubi opus esset, satis constantem fuisse, velut ubi satis audacter Publicium Certum, ut Helvidium Priscum capitis ab illo accusatum ulciscatur, persequitur. Ac sane ignoscendum est Plinio, quod temporibus prudenter serviens malebat de via honorum, quam sub Domitiano erat ingressus, decedere otioque se tradere, potius quam temeraria libertatis ostentatione iram susciperet illius immanis beluæ et periculum capitis obiret ob rempublicam quoquo modo corruentem quotidieque desidentem.

Supra dixi Plinium in amicitia fuisse cum viris illius ætatis maxime egregiis. Satis erit nominasse Tacitum[1]) et Suetonium[2]), ad quos complures epistolas scripsit, Martialem[3]), Silium Italicum[4]), Quintilianum[5]), quibus addi possunt Vestricius Spurinna[6]), Caninius Rufus[7]), Arrius Antoninus[8]), Vergilius Romanus[9]), Voconius Romanus[10]). Horum aliorumque excellentium virorum amicitiæ et consuetudo simul cum innata quadam animi hilaritate (tantum enim aberat, ut Plinius tristis esset ac morosus, ut contra omnia innoxiæ remissionis genera amplecteretur[11]) beatam reddiderunt vitam Plinii. Supremo autem cumulo felicitas ejus est aucta, cum in matrimonium duxisset Calpur-

1) 1, 6. 1, 20. 4, 13. 6, 9. 6, 16. 6, 20. 7, 20. 7, 33. 8, 7. 9, 10.
2) 1, 18. 3, 8. 5, 10. 9, 34. 3) 3, 21. 4) 3, 7. 5) 6, 32.
6) 2, 7. 3, 1. 3, 10. 7) 1, 3. 2, 8. 3, 7. 6, 21, 7, 18. 8, 4. 9, 33.
8) 4, 18. 5, 15. 9) 6, 21, 2. 10) 1, 5. 3, 13. 6, 33. 8, 8. 9, 28.
11) 5, 3, 2.

niam, neptem Calpurnii Fabati, mulierem eruditam morumque integritate insignem. De illius feminæ cupiditate discendi, ingenio, virtutibus sæpe mentionem facit [1]), nec indigna videtur fuisse, quam Plinius singulari amore amplecteretur. Incorrupta enim fide et castitate, virtutibus illo tempore raris, idonea fuit, quæ sua caritate beatum efficeret conjugium. Neque vero ex illa Calpurnia neque ex duabus [2]) ceteris, quas duxerat, uxoribus liberos procreavit, atque orbitatis illius miserum erat solatium jus trium liberorum ei a Trajano concessum. Talis fere fuit privata Plinii vita multis amicitiis, beato conjugio, magna fortuna distincta, qua fortuna haud indignum se præstitit.

Jam vero, antequam ad ipsam elocutionem venio, paucis explicandæ sunt causæ, cur hoc opus susceperim. Nam forsitan operam perdidisse videar, cum suscepi rem retractare, de qua duo viri doctissimi separatim scripserunt, E. E. Oestlingius [3]) et H. Holstenius [4]). Cum vero Oestlingius paucas modo res easque satis leviter attigerit, non facile ex ejus disputatione potest cognosci, qualis omnino fuerit elocutio Plinii. Copiosius Holstenius disputavit, qui in priore opusculo vocabula litterarum ordine descripta enumeravit, quæ Plinius nova fecit, quibus novam vim imposuit, quæ ei cum æqualibus communia sunt, in posteriore autem "*verba*" enumeravit, quæ Plinius a poëtis assumpsit, et perpaucas res ad rationem grammaticam pertinentes attigit. Sed dubito, num majores fructus ex his disputationibus capi possint, nam primum in tot tantosque errores incidit, ut periculum sit, ne ii, qui legunt, pravis opinionibus imbuantur, deinde nihil aliud fecit, nisi ipsa verba litterarum ordine descripta enumeravit, adeoque nihil de iis disputavit, ut sæpe difficillimum sit, quid dictum voluerit, intelligere, tum non satis distinxit verba et locutiones, quæ nisi apud poëtas et argenteæ, quæ vocatur, ætatis scriptores non inveniuntur, ab iis, quæ Sallustius, Livius, alii, qui in eodem numero sunt, scriptores in linguam induxerunt, postremo æquo levius grammaticam rationem tractavit. Sæpissime ne lexica quidem satis diligenter inspexit, sed in priore saltem disputatione conscribenda solum lexicon Forcellinii secutus esse videtur,

---

[1]) 4, 19. 6, 4. 6, 7. 7, 5.

[2]) Cfr. Geisler, "De Plinii minoris vita." Breslau 1862. pag. 2.

[3]) "De Elocutione Plinii Minoris a vere Classica, quam vocant, non nihil abhorrente", Upsaliæ.

[4]) "De Elocutione Plinii minoris", Naumburg 1862. Progr. — "De Plinii Minoris Elocutione", Disputatio Altera. Magdeburgi 1869.

unde omnes fere interpretationes hausit, neglectis explicationibus accuratioribus Klotzii, Freundii, aliorum. Ac nonnumquam apparet, eum non inspexisse ipsum Plinii locum, quem attulit. Neque vero hoc dico, quod tam arrogans sim, ut meam disputationem erroribus vacuam putem. Contra persuasum habeo, me tirunculum et in multos et in magnos errores incidisse, præsertim cum videam, id viris satis multum in litteris latinis versatis accidisse. Sed quæ aliunde colligere potui, quæque ipse in scriptorum libris inveni, ea quam religiosissime potui examinata attuli, ea spe fretus fore, ut, si erraverim, mihi mediocriter erudito ignoscant, qui usu docti sciant, quam difficile sit elocutionem scriptoris pertractare. Sed ne quid ipse inter veniam erroribus meis petendam injuria videar de alienis laudibus detrahere, primum meum est grato animo confiteri, me permulta debere doctis illis viris, qui ante me de eadem re scripserunt, deinde exemplis ostendere, me non sine causa nonnullis in rebus reprehendisse virum de latinis litteris bene meritum. Ac ne quis putet, me perverse ejus sententias interpretatum esse, ipsius verbis afferam, quæ de quoque verbo disputavit.

Horum autem vocabulorum usum Holstenius Plinio et æqualibus solis tribuit:

"I. Substantiva."

"*Admissio aditus, facultas adeundi principem P. 47.*" Perperam interpretatus est, nam aditus de eo dicitur, cui venia alicujus conveniendi datur, admissio de eo, qui veniam dat.

"*Advocatio b) coetus advocatorum 6, 33, 3.*" Legitur: "Ingens utrimque advocatio." Cfr. Liv. 3, 47, 1. "Verginius sordidatus filiam secum... cum ingenti advocatione in forum deducit", ubi eandem vim habet, quam Plinii loco.

**Annotatio 7, 20, I*" [1]). Cfr. Quint. I. O. 10, 7, 31. "In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem."

"*Assentatio assensus 1, 8, 17.*" Prave interpretatus est. Vox solitam suam vim habet.

"*Asseveratio de acri pronunciatione P. 67.*" Potius accipiendum est pro affirmatione. Cfr. Cic. Att. 13, 23, 3.

---

[1]) De signo *apposito Holstenius ipse dicit:

"*Eas voces locutionesque, quarum Plinius auctor esse videtur, asterisco, eas autem quæ, quamvis ante Plinium in usu essent, tamen ab eo solo amplificatæ novaque vi et significatione ornatæ sunt, hoc signo † notavi. Reliquæ deinde voces a me commemoratæ Plinio cum uno pluribusve scriptoribus vel ejusdem vel posterioris ætatis communes sunt.*"

"*Castitas morum integritas 3, 2, 2.*" Nullam video causam, cur non possit propria vi accipi.

"*Commissio scriptum ipsum quod in commissionibus edebatur*, **ἀγώνισμα** *P. 54.*" Cur hic, ut solet, ipsum certamen non possit significare, equidem non video. Cfr. Cic. Att. 15, 26, 1 al.

"*Cupido cupiditas pecuniæ, avaritia 9, 30, 4.*" Nequaquam "*cupido*" id significat, sed id quod legitur, "*habendi cupido*", pro quo Cicero dicit fere "cupiditatem plura habendi."

"*Delectus. Cum delectu 2, 13, 8.*" Quamquam nullum afferre possum exemplum, ubi Cicero dixit "cum delectu", tamen cum locutio, quæ est "*sine ullo delectu*" apud eum et alios frequenter inveniatur (cfr. Cic. Agr. 2, 21, 57), injuria puto contendi illam "*cum delectu*" locutionem propriam esse ætatis Plinianæ.

"† *Destinatio designatio, electio P. 77.*" Cfr. Tac. Hist. 1, 77. "Ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansere."

"*Divisio distributio 6, 33, 8. Tac. Ann. 1, 10. Just. 11, 13.*" Apud Plinium legitur: "Et copia rerum et arguta divisione et narratiunculis pluribus et eloquendi varietate renovatur." Cfr. Cic. Acad. pr. 2, 31, 99. Nat. Deor. 3, 3, 6 ed. Klotz. "Quadripartita fuit divisio tua." Tac. Ann. 1, 10, quem locum similem Plinii putavit, legitur: "Proscriptionem civium, divisiones agrorum ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas." Apud Just. 11, 13. "Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat" [1]).

"*Editio de emisso libro 1, 2, 5. 8, 4. 2, 10, 6. 3, 15, 1. 9, 1, 3.*" In nullo horum locorum positum est de emisso libro, sed significatur ipse libri edendi actus. Apud Quintilianum solum, quantum scio, dicitur de libro edito: Quint. I. O. 5, 11, 40: "Homeri versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur."

"* *Electa de locis scriptorum qui non oscitanter legendi sunt 3, 5, 17.*" Qui tandem loci scriptorum oscitanter legendi sunt?

"*Facultas pro facultas dicendi 1, 20, 8. 2, 3, 1.*" Cfr. Cic. Brut. 95, 327. "Si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses."

"† *Forma ichnographia, delineatio 9, 39, 5*". Cur hunc usum vocabuli Plinio soli tribuerit, equidem non possum intelligere. Cfr. Schützii Lexicon Ciceronianum s. v.

"*Glebula transl. de aliis rebus ad T. 16, 3.*" Quid hoc sibi vult?

---

1) Præteriens commemoro, Holstenium in præfatione dixisse: "*Reliquæ deinde voces a me commemoratæ Plinio cum uno pluribusve scriptoribus vel ejusdem vel posterioris ætatis communes sunt, quod quo clarius perspiceretur, locos, quibus eæ extant, diligenter a me investigatos, apposui.*" Quam diligenter investigaverit et ex illo loco et ex aliis multis manifestum est.

"† *Inertia otium, quies, studia in otio tractata 1, 6, 1.*" Nonne vocabulum usitatam suam signifiationem habet?

"*Judicium 4, 15, 5 i. principis i. q. honorifica p. opinio.*" Cfr. Cic. Fam. 13, 46. "Ea re utrumque scripsi, ut et mihi cum illo causam amicitiæ scires esse et hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset."

"*Libramentum 4, 30, 10 l. aquæ (Gefälle)*"? Tam simpliciter Holstenius expedivit locum, quem nemo adhuc satis intelligere potuit, quia Plinius ipse, quid scriberet, nescisse videtur. Præterea vox ipsa et apud Livium et apud Ciceronem exstat.

"† *Materia causa, argumentum, locus 2, 5, 5. 3, 13, 2. 5, 13, 3.*" Cfr. Sen. Clem. 1, 3, 1. "In tres partes omnem hanc materiam dividam." Nat. Quæst. 6, 4, 2. "Neque enim quicquam habet in se hujus materiæ tractatio pulchrius"; quos locos Rosengren [1]) attulit. Adde Sen. Ep. 13, 2 (87), 11.

"*Mensura modus et ratio 8, 17, 6 pro m. periculi, ad T. 12, 2 m. beneficii.*" Sed simillimi his locis sunt Ov. Met. 12, 57. "Hi narrata ferunt alio mensuraque ficti crescit." Pont. 1, 2, 1. "Tanti mensuram nominis imples."

"† *Modestia de eo, qui laudem, honores, præmia, licet dignus sit, verecunde recusat P. 5.*" Num hæc significatio vocis "modestiæ" nova est?

"*Nequitia qua voce apud præstantissimos scriptores libidinis luxuriæque vitium circumscriptum est, apud posteriores scelus et improbitatem significat 1, 5, 14. 2, 20, 5.*" (His locis non "nequitia", sed "nequissimus", "nequam" legitur). — "*Sic etiam nequam pro nefarius, scelestus invenitur 2, 20, 12. 4, 26, 2.*" (His locis legitur "nequitia", non "nequam."

"*Nisus per transl. de labore et impetu ingenii 8, 8, 3.*" Legitur: "Flumen etiam navium patiens, quas obvias quoque et contrario nisu (cfr. Cic. Nat. Deor. 2, 46, 117 ed. Klotz) in diversa tendentes transmittit et perfert" [2]).

"*Patientia nimia tolerantia s. stupiditas 6, 31, 5 quo loco ejus est, qui justo lentius flagitia uxoris fert. De humili animo etiam indigna perferentis P. 22 dicta est hæc vox.*" Nonne qui justo lentius flagitia uxoris fert, humili animo etiam indigna perfert? Cfr. præterea Liv. 1, 50, 4. "Tentari profecto patientiam, ut, si jugum acceperint, obnoxios premat."

---

1) "De Elocutione Senecæ", Pag. 36. Upsaliæ.

2) Præteriens moneo, hunc errorem in Antibarbarum Krebsii (ed. IV cur. Allgayer) irrepsisse, nusquam enim apud Plinium vocabulum est positum de "impetu ingenii."

"*Officium a) honos 1, 5, 11. 9, 2. P. 73. b) magistratus P. 91*[1]) † *c) locus iudicii 1, 5, 11.* Idem igitur verbum eodem loco et idem significat, quod "honos", et idem, quod "locus judicii", atque et proprium est Pliniani sermonis et cum æqualibus Plinio commune. Cfr. præterea de loco illo 1, 5, 11 Mommsenium, "Zur Lebensgeschichte des jüngern Plinius", Pag. 37, Not., in Hermes, Zeitschrift für Classische Philologie, Dritter Band, Berlin 1869. Mommsenius non putat significari "locum judicii."

"*Pignus transl. pro parentes, fratres, uxores, cognati positum 1, 12, 3. P. 37. 39. qua vi poëtæ hac voce filios et nepotes significantes videntur præiisse.*" Cfr. Liv. 2, 1, 5. "Pignera conjugum ac liberorum."

"*Postulatio 5, 14, 1. 20, 6. 7, 6, 4. 33, 4 ad T. 85, 5 cfr. Coel. ap. Cic. Fam. 8, 6.*" Cfr. etiam Cic. Lig. 6, 17.

"*Puteus balneum frigidum 5, 6, 25 (Hæc significatio abest in lex. Forc.)*" At ille ipse Plinii locus in lex. Forc. allatus est, quamquam non eandem vim, quam Holstenius, Forc. voci imposuit, sed solitam suam vim habere jure putavit.

"† *Remissio intermissio 4, 9, 11.* Legitur: "Dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissione languescit." Ac sane difficile est intellectu, qua in re hic usus verbi discrepet ab usu Ciceronis, ubi dicit Am. 21, 76: "Tales amicitiæ sunt remissione usus eluendæ", ne alios multos locos commemorem.

"*Secretum a) locus remotus, secessus (qua signif. etiam poëtæ h. v. usi sunt) 2, 17, 22. 9, 33, 10*" al. Etiam apud Livium eandem vim habet. Cfr. Liv. 23, 8, 8. "Ubi in secretum pervenerunt." 30, 14, 4. "Abductum in secretum Masinissam sic alloquitur." *De re occulta* negavit nisi apud Plinium et æquales exstare; sed cfr. Liv. 34, 36, 4. "Vanis ut ad ceteram fidem sic ad secreta tegenda satellitum regiorum ingeniis."

"*Titulus c) dignitas, laus 7, (23(?)*, 29, *3. P. 21.*" At 7, 29, 3 de vera inscriptione agitur, quamobrem nihil novi in hoc usu vocabuli videtur inesse. Cfr. Liv. 28, 46, 16 al. Pan. 21 significat nomen honoris, quam vim etiam apud Ciceronem habet. Cfr. Cic. Pis. 9, 19. "Titulum consulatus." Tusc. 5, 10, 30.

"*Tormentum transl. de cruciatu acri quem morbus gignit 1, 12, 5.*" Nonne eandem vim habet Cic. Fin. 2, 28, 92? "Quid de dolore dicemus? Cujus tanta tormenta sunt cet.?"

"*Vestes in plurali numero 5, 16, 7.*" Cfr. Sall. Hist. inc. 19 (ed. Dietsch). Ov. Met. 8, 657.

---

[1]) Cfr. de hac vi vocis librum, qui inscribitur: "Lateinische Stilistik", von Nägelsbach, Pag. 56, Dritte Auflage.

"*Vocum a Plinio cum forma integra tum mutata e lingua Græca desumptarum appendix.*"

"*Boletus 1, 7, 6.*" Cfr. Plaut. Curc. 5, 2, 14.

"*Caryota 1, 7, 6.*" Cfr. Varr. R. R. 2, 1, 27.

"*Hemicyclium 5, 6, 33.*" Cfr. Cic. Am. 1, 2. "Domi in hemicyclio sedentem."

"* *Scazon 5, 11, 2*". Cfr. Mart. 1, 97, 1.

"II. Adjectiva."

"*Abruptus a) præruptus, præceps 8, 4, 2 montium abrupta. 9, 39, 5 abruptissimæ rupes.*" Cfr. Catull. 68 b), 108 (ed. Rossbach). "Abruptum barathrum." Liv. 21, 36, 2. "Locus in pedum mille altitudinem abruptus erat."

"*Anxius cum pro præpositione conjunctum 4, 21, 5.*" Cfr. Ov. Met. 1, 182. "Non ego pro mundi regno magis anxius illa tempestate fui."

"*Applicitus adjunctus, adhærens 2, 17, 23.*" Legitur ibi: "Adplicitum est cubiculo hypocauston." Cfr. Liv. 33, 17, 7. "In iis angustiis Leucas posita est, colli applicata."

"*Dispensatus 3, 10, 3. P. 35.*" Legitur 3, 10, 3: "Cujus famæ latius consuletur, si dispensata et digesta fuerit." Cfr. præter alios locos Liv. 27, 50, 10. "Dispensari lætitia inter potentes ejus animos potuit." Cfr. Liv. 38, 47, 3.

"† *Erasus cujus nomen e publicis tabulis erasum est P. 25.*" Similis locus est Tac. Ann. 4, 42. "Merulam albo senatorio erasit."

"† *Frenatus transl. P. 66 frenatam tot malis linguam resolvimus.*" Sed si per translationem dici potest "furores frenare" Cic. Mil. 28, 77, "frenare voluptates" Liv. 30, 14, 7, alia id genus, difficile est intelligere, quid Plinii proprium insit in illa locutione.

"*Inevitabilis P. 42.*" Cfr. Ov. Met. 3, 301. "Inevitabile fulmen."

"*Infidelis transl. de rebus P. 45 i. recti magister est metus i. e. non diuturnus* (?) *magister officii.*" Num jure potest affirmari hoc loco vocem, quæ est "infidelis", de re positam esse?

"*Ingenitus P. 20.*" Cfr. Cic. Fin. 5, 23, 66 (ed. Madvig).

"*Intectus non tectus ad T. 100.*" Cfr. Sall. Hist. 2, 21. "Domus intectæ." Hist. inc. 18. "Intectum corpus." ibid. 59.

"† *Laboriosus multis calamitatibus molestiisque vexatus 4, 9, 1. 6, 13, 1. P. 86. 91.*" Cfr. præter Cic. Mil. 2. Phil. 11, 4, quos locos Holstenius ipse commemoravit, Cic. Fin. 2, 28, 93. Nat. Deor. 1, 20, 52.

"*Liberum est mihi c. Inf. = mihi licet, possum 1, 8, 3. P. 24.*" Cfr. Liv. 32, 32, 8. In altera disputatione eandem locutionem poëtis tribuit.

"†*Nudus de oratione 4, 14, 4 n. verba = aperta, facilia ad intelligendum.*" Cfr. Quint. I. O. 8, 3, 38. "Si obscena nudis nominibus enuntientur."

"†*Pauci nonnulli 2, 6, 2. 4, 22, 4.*" Cfr. Liv. 30, 33, 14. "Paucæ tamen bestiarum intrepidæ in hostem actæ."

"*Præfinitus 6, 34, 3.*" Legitur: "Ad præfinitum diem." Cfr. præter alios locos permultos Cic. Rosc. Am. 45, 130. "Quæ dies in lege præfinita est."

"†*Quietus ab ambitione remotus 8, 3, 1.*" Sine dubio erravit in loci numeris afferendis atque in animo habuit 7, 31, 1. Cfr. præter alios locos Vell. 2, 117, 2. "Vir ingenio mitis, moribus quietus." Cic. Off. 1, 21, 73. "Major cura efficiendi rem publicam gerentibus quam quietis."

"*Suspensus absol. pro incertus 3, 17, 3. 6, 4, 3.*" Cfr. præter alios locos Cic. Att. 3, 8, 2. "Maneo Thessalonicæ suspensus."

"III. Verba."

"*Acclamare voce assentiri, plaudere 4, 9, 18. 5, 14, 3.*" Cfr. Liv. 34, 50, 9. "Servatorem liberatoremque acclamantibus."

"†*Acquiescere cum dativo conjunctum 4, 21, 4. 5, 16, 11. 6, 7, 2.*" Cfr. Sen. Ep. 1, 9, 16. 3, 3 (24), 1. "Adquiescas spei blandæ." Suet. Tit. 7.

"*Affigere transl. 2, 3, 9.*" Legitur ibi: "Altius in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit." Cfr. Cic. d. Or. 2, 87, 357. "Vidit Simonides, ea maxime animis adfigi nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa."

"†*Anniti 6, 18, 1 quod ego annitar i. e. perficere conabor.*" Cfr. Liv. 5, 25, 13. "Patres hoc idem de intercessoribus legis annisi." 22, 58, 3.

"*Assidere b) obsidere P. 12 qui sciant te assedisse ferocissimis populis i. e. castris prope positis eos compressisse* (?) *Virg. Cir. 268.*" Cfr. Liv. 23, 19, 5. "Gracchus assidens tantum Casilino." 21, 25, 6, qui loci consimiles sunt.

"*Circumferre transl. pro vulgare, disseminare 2, 5, 12. 3, 16, 13.*" Legitur 3, 16, 13: "Illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert." Cfr. Ov. Am. 2, 17, 29. "Novi aliquam, quæ se circumferat esse Corinnam."

"*Continere aliquid contineri aliqua re 5, 9, 1. (Litteræ tuæ) partim læta partim tristia continebant. 9, 28, 5 tertia epistola continebat esse tibi redditam orationem.*" Cfr. Cic. Or. 43, 148. "Talibus rebus, quales hic liber continet."

"†*Defervescere transl. de novis versiculis 9, 16, 2.*" Cfr. Cic. Or. 30, 107. "Quantis illa clamoribus adulescentuli diximus, quæ nequaquam satis defervisse post aliquanto sentire coepimus." Brut. 91, 316. "Quasi deferverat oratio."

"*Favere alicui contra aliquem 8, 3, 2.*" Legitur ibi: "Contra istum librum faveo orationi, quam nuper in publicum dedi." Cfr. Liv. 9, 18, 6. "Levissimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ favent."

"†*Inspicere aliquem ingenium moresque alicujus cognoscere 1, 10, 2. 4, 17, 5*" al. Cfr. præter alios locos Cic. Phil. 2, 18, 44. "Visne igitur te inspiciamus a puero?"

"*Intercedere propria vi 5, 6, 34.*" Cfr. Cæs. B. G. 7, 26. "Palus, quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat."

"*Interjacere cum accusativo conjunctum 5, 6, 32.*" Cfr. Liv. 7, 29, 6. "Descendunt in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet."

"*Invidere alicui aliqua re 1, 10, 12. 2, 10, 2. 20, 8*" al. Cfr. Liv. 2, 40, 11 (ed. Madvig). "Non inviderunt laude sua mulieribus viri Romani" [1]).

"*Mereri consequi, accipere, impetrare P. 26*" al. Legitur ibi: "Nullum est magno principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam" cet. Cfr. Cic. Phil. 1, 14, 34. "Putasne, illum immortalitatem mereri voluisse?" Fin. 2, 22, 74.

"†*Nescio an quod dicendi genus primæ classis scriptores modeste concedentis, affirmantis esse voluerunt, apud Plinium sæpe significare videtur scriptoris condicionem plane incertam. 1, 14, 9. 2, 2, 1. 4, 11, 8. 15, 6. 6, 21, 3. 7, 14, 4. 8, 14, 24.*" Nonne eandem vim habet Quint. I. O. 7, 2, 41. 9, 4, 1. 10, 1, 65. Val. Max. 5, 2, 9, quamquam his locis fortasse apertior est vis negativa [2]).

"*Oblidere opprimere 6, 20, 16.*" Alio loco Pag. 21, Not. hunc vocabuli usum etiam Livio tribuit, eundemque locum 6, 20, 16 laudavit. Utrum apud Livium exstet vocabulum necne, nescio. Ubi enim esse Doeringius docuit Liv. 1, 29, equidem non potui invenire; sed apud

---

[1]) Copiosius de hac re disputavit Anton, "Studien zur Lat. Grammatik und Stilistik", Pag. 81 sequ., Erfurt 1869.

[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v. "an" Pag. 328. Törnebladh, "De usu particularum apud Quintilianum", Pag. 41, Holmiæ 1861.

Cic. fragm. Or. p. Scaur. 6, 10, Pag. 229 (ed. Klotz) legitur: "Sed collum digitulis duobus oblideret."

"*Peragere reum. Hæc locutio qua olim reum agere s. facere (Liv. 4, 42) significabatur, postea præstare quæcumque ad accusandum damnandumque reum pertinent, causam rei ad exitum deducere ut condemnetur significabat 3, 9, 36.*" Nescio an illam ipsam vim Livii loco habeat locutio illa "peragere reum."

"*Prædicere supra memorare 4, 14, 8.*" Legitur: "Unum illud prædicendum (supra memorandum?) videtur, cogitare me has nugas ita inscribere "Hendecasyllabi." Cfr. Sall. H. 2, 1. "Quum prædixero positum insulæ", quem locum N. Oestling, "De Elocutione Sallustii Crispi", Pag. 45, Upsaliæ 1862, attulit."

"†*Præloqui præfari 3, 4, 3. 4, 5, 3. 8, 21, 3.*" Cfr. Sen. Nat. Quæst. 2, 11, 3. "Hæc necessarium fuit præloqui dicturo de tonitru."

"*Proficere cum dativo conjunctum pro prodesse 9, 40, 2 memoriæ frequenti emendatione proficitur.*" Similis admodum locus est Cic. Att. 1, 1, 1. "Ita quiddam spero nobis profici, quum hoc percrebrescit, plurimos nostros amicos inveniri."

"*Provocare a) quasi ad certamen ineundum evocare 2, 7, 4. P. 51.*" Legitur 2, 7, 4. "Tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senes illos provocare virtute." Cfr. Cic. Ep. Brut. 1, 1, 1. "Non respondere in amore iis, a quibus provocere." In altera disputatione hunc vocis usum poëtis tribuit.

"*Prospectare de locis, unde prospectus est 2, 17, 5. 5, 6, 19.*" Cfr. Tibull. 1, 7, 19. "Maris vastum prospectet æquor Tyros."

"*Retractare relegere, revisere, emendandi causa recensere 4, 9, 23. 5, 8, 6. 8, 21, 6. 9, 10, 3. 40, 2 cf. r. gaudium pro recordari 7, 24, 7.*" Cfr. Cic. Att. 16, 3, 1. "Idem σύνταγμα misi ad te retractatius" 8, 9, 3. "Augemus dolorem retractando." Hic locus similis est Plinii 7, 24, 7.

"†*Sufficere parem esse, satisfacere 6, 23, 4. 7, 31, 3*" al. Cfr. Cic. Verr. 5, 48, 127. "Paucorum cupiditati tum, quum obsistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant." Vell. 2, 98, 2. "Vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat aut facilius sufficiat negotio." Cfr. Vell. 2, 97, 2. 2, 131, 2.

"*Superfundere propria significatione 8, 17, 1. 9, 33, 9.*" Legitur 8, 17, 1: "Tiberis alveum excessit et demissioribus ripis alte superfunditur." Cfr. Liv. 7, 3, 2. "Tiberi superfuso." Ov. Met. 2, 459.

"*Suscipere transl. curare tueri 1, 19, 1. 2, 4, 2.*" Legitur 1, 19, 1: "Magnæ et graves causæ, cur suscipere, augere dignitatem tuam debeam." Cfr. Cic. Sest. 22, 49. "Videbam, neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives salutem reipublicæ."

"*Teri multum versari in aliqua re, exerceri, fatigari 2, 3, 5. 7, 3, 3. 8, 12, 3.*" Legitur 2, 3, 5: "Qui in foro verisque litibus terimur." Cfr. Liv. 6, 8, 10. "Ne tamquam Vejos oppugnantes in opere longinquo sese tererent." Plinium passiva forma pro reflexiva usum esse, id nequaquam novum existimandum est, si forte de ea re cogitavit Holstenius.

"IV. Adverbia."

"*Inique iniquo animo P. 85.*" Legitur ibi: "Potest, fortasse inique, potest tamen odio esse non nullis." Non significat hoc loco "inique" i. q. "iniquo animo", sed i. q. "injuria, injuste." Cfr. Cic. Dom. 33, 87.

"*Favorabiliter 5, 14, 3*" (ed. Keil. 5, 13, 3). Legitur ibi: "Operam dedit, ut deprecari magis (id enim et favorabilius et tutius) quam defendi videretur." Manifestum est hoc loco "favorabilius" pro adjectivo, non pro adverbio habendum esse.

"†*Pariter eodem tempore 9, 28, 1.*" Quanta injuria hunc vocabuli usum Plinio primo tribuerit, intelligitur ex iis locis, qui Hand. Turs. s. v. "pariter" P. 390 sequ. commemorati sunt. Cfr. præterea Krebsii Antibarbarum (ed. IV cur. Allgayer) s. v.

"*Hilariter 3, 18, 10.*" Recte Holstenius Pag. 34, Not. docuit, hac adverbii forma ante Plinii æquales usum esse Auct. ad Her. Sed Plinii loco legitur: "Quæ hilarius et quasi exsultantius scripsi." Quî tandem constitui poterit, utrum ab adverbii forma minus usitata, quæ est "hilariter", an a forma "hilare", etiam Ciceroni aliisque frequentata, ductum sit "hilarius" illud?

"*Hac-hac = hac-illac 5, 6, 19.*" Cfr. Hand. Turs. s. v. "hac" Pag. 3, ubi ostenditur sic poëtas loqui solere.

"*Interdum — interdum modo — modo 6, 16, 6. 31, 13. 8, 20, 6.*" Cfr. Cic. Or. 59, 201. "Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio." Att. 12, 14, 3.

"*Mox deinde 3, 9, 9. 5, 17, 5*" al. Cfr. Liv. 40, 48, 6. "Extemplo fusi fugati, mox intra vallum paventes compulsi, postremo exuuntur castris."

"*Utcumque in adverbii modum contra morem veterum additum adjectivis et verbis pro quantum fieri potest (?) 1, 12, 2. 5, 5, 2. 6, 20, 19.*" Cfr. Liv. 29, 15, 1. "Quæ dubiis in rebus utcunque tolerata essent, ea non ultro pati."

In altera disputatione, in qua *verba* enumeravit, quæ Plinius a poëtis assumpsit, et promisit, se alio tempore adjectiva et substantiva ejusdem generis enumeraturum, non minores insunt errores.

Pag. 9. Adjectivum quod est *ferax* 2, 17, 15. 8, 20, 2 cum genitivo conjunctum poëtis et æqualibus Plinii tribuit, neque indicavit, etiam Livium sic locutum esse. Cfr. Liv. 9, 16, 19. "Illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit."

Pag. 11. Laborare sequ. Inf. poëticam locutionem dixit 1, 4, 4. 10, 2. 2, 5, 9, sed cfr. Cic. Att. 5, 2, 2. "In eo ipso laudandum, quod audiri non laborarit." Nep. Pel. 3, 1.

Pag. 12. Verbum *optandi* 3, 4, 2 "*poëtas fere cum Inf. junxisse*" dicit; sed cfr. Liv. 9, 14, 15. "Perdere prius quam perire optantes." Præterea cum apud ipsum Ciceronem sequatur acc. c. Inf. Nat. Deor. 3, 40, 95. "Opto redargui me", cumque "exoptandi" verbum Cicero conjunxerit cum Infinitivo Fam. 4, 6, 3. "Multis de causis te exopto quam primum videre", audacius est hanc structuram poëticam dicere.

Pag. 14 dicit: "*Ausim, quæ forma conjunctivi apud solos poëtas legitur, bis apud Plinium 4, 4, 3. 9, 13, 25 extat.*" Illud quam falsum sit, nemo ignorat. Cfr. Neue, "Formenlehre der Lat. Sprache", Zweiter Theil, Pag. 424, Mitau 1861.

Pag. 15. "*Cavare excepto uno loco Livii 21, 26, 8 apud solos poëtas legitur, quos Plinius secutus est 5, 6, 36. 8, 20, 4.*" Cfr. Liv. 44, 35, 17. "Medium spatium torrentis alibi aliter cavati paulo plus quam mille passus patebat."

"*Condere. Postquam sepeliendi vi hoc verbum poëtæ instruxerunt, Plinius non dubitavit dicere 7, 27, 11 domus postea rite conditis manibus caruit.*" Sepeliendi vim hæc vox habet etiam apud Ciceronem. Cfr. præter alios locos Tusc. 1, 45, 108. "Persæ etiam cera circumlitos condunt (mortuos)."

"*Culpandi verbum a Verg. Aen. 2, 602 fictum sæpe apud Plinium invenitur.*" Cfr. Ter. Eun. 2, 3, 96. "Quod qui rescierint, culpent." Plaut. Bacch. 3, 2, 13. "Hoc etiam ipsi culpabunt mali."

"*Curvare 9, 26, 4*" al. poëtis solis et æqualibus Plinii tribuit, quod audax videtur, quamdiu apud Ciceronem Nat. Deor. 1, 24, 66 legitur: "Curvata quædam et quasi adunca (corpuscula)"; quamquam nonnulli locum illum putant corruptum.

"*Ducere noctem 6, 31, 13 pro noctem agere cum voluptate*" (cum voluptate?). Ad hanc locutionem jam Cicero munivit viam. Cfr. Fin. 5, 19, 50. "Quo studio Aristophanem putamus ætatem in litteris duxisse", et quæ hoc loco Madvigius de illo verbi usu disputavit.

"*Intendere more poëtarum a Plinio bis usurpatum est 3, 9, 21 in jugulum innocentis quasi telum aliquod intendere.*" Cfr. Cic. Pis. 2, 5. "Ego tela extremo mense consulatus mei intenta jugulis civitatis de conjuratorum nefariis manibus extorsi." "*Alter locus legitur Pan. 19, 3 ut studium omnium laboremque intenderes.*" Cfr. Sall. Jug. 75, 8. "Numidæ, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant."

"*Interloqui quod non legitur nisi apud Ter. Heaut. 4, 3, 13 et post apud Gellium 14, 2, 19 a Plinio uno loco, qui est 7, 6, 6, usurpatum est.*" Cfr. Sen. Ben. 4, 26, 1. "Permitte mihi aliquid interloqui."

"*Pallere i. q. timere 6, 2, 2, sicuti Horatius et Persius hac voce usi sunt.*" Cur non possit propria vi accipi, non intelligo, neque video, cur necesse sit "*perlegendi*" verbum 8, 20, 2, ut contendit Holstenius, interpretari *lustrare.*

"*Pavere cum accusativo rei 8, 20, 8, quæ structura non in usu est nisi apud poëtas, quos præter Plinium Tacitus Pliniusque major imitati sunt.*" Cfr. Sall. Cat. 31, 3. "Mulieres omnia pavere" [1]).

"*Prætendere quam vocem poëtæ ætatis Augusteæ finxerunt 8, 27, 8 Obfirmare animum auribusque prætendere.*" (Leg. pro 8, 27, 8. 7, 27, 8). Jam Ciceronis ætate in usu fuit vocabulum. Cfr. Cic. Vat. 6, 14. "Hominis doctissimi nomen tuis immanibus et barbaris moribus prætendere."

"*Reformidare translato sensu 5, 16, 11 crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat.*" Cfr. Cic. in Qu. Cæc. Div. 16, 51. "Diligentia speculatorem reformidat." Tusc. 1, 45, 108. "Ea reformidet oratio."

"*Tueri pro conspicere 2, 11, 7.*" Miram interpretationem! Legitur enim: "Unde evenit, ut quod multi clamore permixto tuentur, nemo tacentibus ceteris dicere velit."

Illis commentis alia multa adjici possunt, quæ omnia si persequi vellem, volumen implerem. Adde quod prope sexaginta errores Holstenii in numeris locorum afferendis annotavi, quos longum est enumerare.

Sed ne tempus teram in rebus a proposito alienis, id solum ad extremum moneo, me rescripta Trajani omnino omisisse, postquam Ussingius [2]) satis evidenter ostendit, illa rescripta supposita esse.

---

[1]) Cum Accusativo personæ conjungitur etiam apud Liv. 23, 5, 8. Cfr. Kühnast, "Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax", Pag. 142, Berlin 1871.

[2]) "Om de Kejser Trajan tillagte Breve til Plinius", Videnskabernes Selskabs Skrifter, Femte Række, Tredje Bind, Kiöbenhavn 1861.

Nunc quoniam vitam Plinii adumbravi causasque, cur de elocutione ejus disputare constituerem, exposui, scripta ejus, quæ ad nostra tempora manserunt, percensebo. Nam de orationibus, quas omnes excepto illo in Trajanum Panegyrico iniquitate temporum periisse, supra indicavi, nullum audeo certum judicium facere, quamquam et ex assensione, qua ab audientibus sunt exceptæ, et ex eventu prospero, qui illas orationes et apud centumviros et in senatu habitas sequebatur, suspicari licet, satis fuisse præclaras[1]). Carmina vero, quæ longius demum ætate provectus recitare atque edere coepit, communi pernicie, qua magna pars ex optimis quoque scriptis latinis interiit, deleta esse, haud magnopere dolendum dixi; nam certe qui adhuc exstant versiculi non modo delectare non possunt legentes, sed etiam acerbam Ciceronis versuum, quem etiam in carminibus condendis imitatus est, memoriam revocant[2]). Ad nostra autem tempora ex scriptis Plinii pervenerunt novem libri epistolarum, quas ipse inter annos 101—109 p. Ch. n.[3]) collegisse videtur et edidisse; hisque accedit decimus liber, quo continentur epistolæ ex Bithynia et Ponto de diversarum in hac provincia rerum statu ad Trajanum missæ. Has epistolas utrum ipse collegerit et ediderit an amicorum aliquis, incertum est. Præterea Panegyricus ille, quem, ut supra demonstravi, consulatum adeptus anno 100 p. Ch. n. Kal. Sept. Trajano dixit, ad nostram memoriam est conservatus.

Epistolis autem illis, si, quæ res contineantur, consideramus, sane sunt diversissimæ, ac plurimæ quidem leves et nugatoriæ. Plerumque enim de depravatione suæ ætatis conqueritur[4]), de senatus ad assentandum et blandiendum proclivitate[5]), de æqualium magna "habendi cupidine"[6]), de simulata juvenum sapientia et deficiente erga veteres reverentia[7]) lamentatur. Hic servorum crudele in dominum facinus narrat[8]), illic servo fugitivo veniam a domino studet impetrare[9]). Alibi quendam increpat, quod, cum ad coenam promiserit, non venerit, sed mensam lautiorem alius prætulerit[10]), alibi narrat, quam quis constanter sibi ipse mortem consciverit quamque patienter inedia perierit[11]). Modo narrat, quam insane Regulus mortem filii se lugere simulaverit[12]), modo mentionem facit de delphino mansueto cum pueris nonnullis in Hippo-

[1]) Cfr. 2, 11, 11. 4, 16, 2. 9, 23, 1—2.
[2]) Cfr. de poësi Ciceronis Quint. I. O. 9, 4, 41. 11, 1, 24.
[3]) Cfr. Mommsen, Disp. 1.
[4]) 2, 20, 12. 3, 21, 3 al. [5]) 8, 6. [6]) 9, 30, 4.
[7]) 2, 14, 2. 8, 23, 3. [8]) 3, 14. [9]) 9, 21. [10]) 1, 15.
[11]) 1, 12. 3, 7, 1. Usitatissimus illo tempore videtur fuisse mos nequaquam jucundus inedia vitæ finiendæ.
[12]) 4, 2, 3.

nensi colonia ludente[1]). Alio loco fortitudinem et constantiam Arriæ prædicat[2]), alio, quid portendat somnium, deliberat cum amico[3]), alio, quomodo imago nocturna quiescenti homini assistens aliquid commendaverit[4]) vel portentoso aliquo facto signove imminens periculum aut scelus commissum indicaverit[5]), narrat. In epistola 7, 27, quæ omnis referta est anilibus de vanis imaginibus narratiunculis, serio quærit ex Sura amico, num putet esse phantasmata, quod sibi quidem persuasum esse, aperte ipse fatetur. Sed graviores quoque res, quas ad illa tempora existimanda interest cognoscere, Plinius in epistolis attigit. Quæ res enim et quomodo in senatu agerentur, demonstravit[6]), quam latus pateret licentiæ campus institutis suffragiis tacitis[7]), patefecit, quantum ad pretium prædiorum Italicorum augendum valeret lex Trajani, "ut candidati patrimonii tertiam partem in ea, quæ solo continerentur, conferrent"[8]), ostendit, quomodo causæ in consilio quodam a Cæsare convocato disceptarentur[9]), narravit. Ac multum quidem ad recitationes[10]), quæ illo tempore increbruerant, cognoscendas contulit. Quibus recitationibus Plinius ipse, qui de pigritia, qua ad recitationes audiendas coirent æquales, et de negligentia, qua recitatores audirentur, sæpe conquestus est[11]), frequenter et religiose adfuit. Atque ipse non solum versus suos, sed etiam orationes recitare solebat[12]), quem morem jamdiu exoletum cum Plinius primus revocasset ob eamque rem in multorum reprehensionem incidisset, copiosius quam subtilius defendere conatur[13]). Nonnulla quoque attulit ad vitas illustrandas elegantium quorundam scriptorum velut Taciti, Suetonii[14]), Quintiliani 6, 32, Martialis 3, 21, Silii Italici 3, 7, quibuscum familiaritatis vinculis erat conjunctus, præcipue vero Plinii majoris avunculi, cujus non modo assidua litterarum studia celebravit editosque libros enumeravit[15]), sed etiam luctuosum ejus et præmaturum interitum eruptione Vesuvii montis descripsit; quæ eruptio qualis esset quantasque ruinas ederet, Plinius, qui ipse viderat, dilucide venusteque narravit[16]). Neque nobis

[1]) 9, 33. [2]) 3, 16. [3]) 1, 18. [4]) 3, 5, 4.
[5]) 5, 5, 5. 7, 27. [6]) 2, 11. 3, 20. 8, 14. [7]) 4, 25.
[8]) 6, 19. [9]) 6, 31.
[10]) 1, 5, 2. 1, 13. 4, 7, 2. 4, 27, 1. 6, 15, 2. 6, 21, 2. 8, 12, 1 al.
[11]) 1, 13. 6, 15.
[12]) 3, 10, 2. 3, 18, 4. 4, 5. 5, 3, 1. 5, 12 (13), 1. 7, 17, 2. 8, 21, 4. 9, 34, 1. [13]) 7, 17.
[14]) Ad Tacitum multas epistolas scripsit 1, 6. 1, 20. 4, 13. 6, 9. 6, 16. 6, 20. 7, 20. 7, 33. 8, 7. 9, 10 et ad Suetonium nonnullas 1, 18. 3, 8. 5, 10 (11). 9, 34.
[15]) 3, 5. [16]) 6, 16. 6, 20.

gratum non debet esse videre, quid de religione Christianorum senserit et quomodo in eos consuluerit vir Christianis quidem, quos magna superstitione captos ac civitati majestatique Cæsaris periculosos arbitrabatur, inimicus, non tamen religione Romanorum adeo obstrictus aut occupatus, ut iniquo infestoque odio alii religioni addictos persequeretur [1]). Quodque naturam fontis miratur, cujus aqua cur "statis auctibus ac diminutionibus crescat decrescatque" nulla ratione potest intelligere, sed ab amico, quem physicorum putavit peritiorem, quærit, quæ causæ "tantum miraculum efficiant", id ostendit, quam nihil in rerum naturæ cognitione illo tempore fuerint versati [2]). Ne ea quidem omnino negligenda sunt et pro nihilo habenda, quæ ad vitas Cæsarum quorundam illustrandas ex his epistolis colligi possunt. Vere enim et acute de nequitia et improbitate delatorum sub Nerone et Domitiano vigentium scripsit [3]) (sub Domitiano Plinius ipse delatus erat, sed judicium ejus mors Domitiani prævenit [4]), apte indicavit, quanta quamque repentina fieret rerum commutatio [5]) imperio ad Nervam delato, qui non modo delatores edicto coërcuit meritisque suppliciis affecit [6]), sed etiam exsules plerosque a Domitiano ejectos restituit [7]), pauperibus assignavit agros [8]), omnes denique bonos cives favore et gratia est amplexus. Quantum autem Plinius epistolis suis contulerit ad Trajani ætatem recte existimandam, omnibus est notum. Ne plura, graviores quoque res epistolis Plinii continentur, quamquam concedendum est eum sæpissime in quæstiunculis de litteris studiisque [9]) et aliis ejusmodi rebus minutis versari.

Sed etiam qualis temporibus Cæsarum fuerit litterarum studiorumque condicio, quam potero brevissime exponam. Omne igitur imperium cum uni cessisset, cujus ad arbitrium nutumque omnia fierent, pristinam dicendi et scribendi libertatem plane oppressam esse inter omnes constat. Inter Augusti enim ætatem et Trajani complures deinceps intercesserunt principes crudeles sævique, qui omnes virtutes odissent, præclarissima reprimerent ingenia, innocentes in exsilium expellerent, præmia proponerent delatoribus, si quem inter ceteros excellentem investigassent et detulissent, qui denique gliscentem libertatis

1) 10, 96 (97). 2) 4, 30.
3) 1, 5. 3, 7, 3. 3, 9, 31. 4, 9, 2. 4, 22, 5. 9, 13, 2.
4) 7, 27, 14. 5) 9, 13, 4.
6) Pan. 35. Dio 68, 1. Antea Titus tale fere edictum ediderat. Pan. 35. Suet. Tit. 8.
7) 1, 5, 10. 4, 9, 2. Dio 68, 1, 2. 8) 7, 31, 4. Dio 68, 2.
9) 1, 20. 9, 26. al.

honestatisque amorem exstinguerent. Nulla pæne vincula singulos cives cum civitate conjungebant, pristina senatorum nobiliumque dignitas nihil erat nisi inanis umbra, imperium principum magna ex parte inopi et venali plebe sustinebatur, cujus summum studium et voluptas posita erant in ludis spectandis. Quisquis audebat libro aut oratione aut carmine memoriam liberæ reipublicæ florentis revocare, mentionem facere antiquæ libertatis, veterum virtutes et præclara facinora celebrare, exsulando poenas audaciæ dabat. Eloquentia vero, cui omnes, qui quidem honores petituri essent, olim assidue studebant, jam ut ars inutilis coli desita erat atque aut omnino obmutuerat aut in rhetorum scholis frigidis declamationibus a pueris exercebatur, qui sonantibus verbis sententiarum inopiam celabant, aut in curiam detrusa versabatur in immeritis insulsisque principum laudibus, aut in jejunis causis centumviralibus disceptandis erat occupata. Ceteras quoque artes reconditiores neglectas jacuisse illo tempore, cum nemo certi exitii metu aperte sententiam dicere aut rerum statum denotare auderet, non est mirandum. Cum autem homini innata sit cupiditas quædam, quidquid cogitatione concepit, cum aliis communicandi, cumque non auderent palam rerum perversitatem malorumque remedia manifesta facere, significantibus verbis ambiguisque sententiis sensus animorum cogitationesque quasi designare coeperunt. Ita pro pristina perspicuitate ambiguitas quædam orationis est orta. Per speciem enim omnia approbandi dissimulanter et occulte blandis sæpe verbis speciosisque sententiis veras temporum condiciones civibus aperire studebant. Sed illis blanditiis quam acris sæpe rerum improbatio quamque implacabile odium essent subjecta, iis, qui audiebant aut legebant, facile erat intellectu.

Oppressa vero libertate de gravissimis civitatis rebus dicendi, cum nisi res leves non essent oratoribus relictæ, iis non tam erat propositum, quid verum, honestum, justum esset, docere, quam nugis amplificandis animos audientium vel legentium ad tempus delectare. Ob eamque rem celeritate quadam orationis et vigore animos excitare, aucupio verborum sonantium auribus lenocinari, argutiis quæsitis ostentare ingenii acumen, inauditis vocibus et translationibus novitatis gratiam captare, orationem quadrare concinnitate elaborata, artificiosis contentionibus (Græci *ἀντίθετα* vocant) crebrisque locis communibus quasi ferire et percutere studebant. Ita pro nativo illo et candido veterum genere dicendi ortum est artificiosum, argutum, sententiosum. Hoc autem declamatorium dicendi genus, quamquam jam Augusti ætate non solum a poëtis frequentari coeptum erat, sed etiam aliqua

ex parte in solutam orationem immigraverat, illis demum temporibus tamen increbruit, quibus poëtæ fere soli, in primis Vergilius, Ovidius, Horatius, neglectis vel postpositis aliis scriptoribus, etiam in scholis lectitabantur. Ad illorum dicendi formam adolescentuli assuescebant orationem accommodare, illorum granditatem non solum poëtæ, sed etiam solutæ orationis scriptores imitabantur. Præterea illis temporibus omnes fere, qui quidem aliquam operam in litteris ponerent, versus quoque scripsisse videntur. Illo vero studio poëtarum confundi coepta sunt varia dicendi genera ac soluta quoque oratio poëtico quodam fuco colorabatur. Non nihil autem ad latinam linguam inquinandam valuit, quod ex omnibus fere terræ partibus peregrini Romam confluxerunt, crebris occasionibus ad honores perveniendi allecti. Illi enim peregrini barbare loquentes multa in linguam induxerunt aliena. Ac Romani quidem ipsi, cum haud raro diu in provinciis morarentur, urbani sermonis prope obliti sunt et eorum quoque oratio quendam quasi colorem peregrinum traxit e provincialium consuetudine dicendi. Quid recitationes illæ, de quibus supra non nihil dixi, quantum effecerint ad orationem corrumpendam, quis est quin sciat? Vanas enim laudes sectantes scriptores magnam solebant amicorum multitudinem convocare, ut scripta sua sæpe minus perfecta legerent per speciem quidem ad amicorum judicia, quæ displicerent, emendandi, re vera autem nihil aliud spectantes, nisi ut ingenia sua ostentarent ac plausus clamoresque eorum, qui audiebant, excitarent. Ille quidem mos liberæ quoque reipublicæ temporibus vigebat, tum vero apud paucos existimatores intelligentes atque incorruptos opuscula sua legebant scriptores, ut, antequam vulgarent, quidquid in iis pravum videretur, corrigerent, hac vero ætate non erat insolitum mercede conductos plausores ad audiendum adhibere non solum in auditoria, sed etiam in forum [1]. Talibus autem existimatoribus magis inflatas atque insulsas declamationes quam integre et incorrupte scripta placuisse, nolite mirari, atque in illis quidem recitationibus latissimus campus patebat declamatorio illi argenteæ ætatis proprio generi dicendi.

Luxuria autem illius ætatis mirum quantum valuit ad orationis vim infringendam. Nam cum ex toto terrarum orbe immensæ divitiæ Romam essent congestæ, deliciis se dederunt Romani et voluptatibus, quibus animi adeo molliti sunt et effeminati, vix ut credas hos Romanos esse, ortos ab illis majoribus, quorum assueveris admirari continentiam, constantiam, frugalitatem. Sed si

[1]) 2, 14.

verum est illud Platonis, "qualis homo sit, talem ejus esse sermonem", consentaneum est ex illa animi mollitia mollem fluxisse orationem et delicatam.

Jam, ut tandem ad id ipsum, quod propositum est, veniam, si ad elocutionem Plinii animum advertimus, reperiemus eum orationis integritate propius plerisque ejusdem ætatis scriptoribus accedere ad auream, quæ vocatur, latinitatem, ac sane dubito, an præter Quintilianum nemo æqualium in ea re possit cum eo comparari. Neque tamen is vacuus erat vitiis, si quidem vitia dicenda sunt, argenteæ ætatis. Quod autem Ciceronem sibi ad imitandum proposuerat, quamquam non potuit æquare, cum neque pari ingenio præditus esset et nimium suæ ætatis judicio tribueret, medium tamen quodammodo inter nativum dicendi genus veterum scriptorum et argenteæ ætatis argutum et artificiosum studebat tenere. Quod quidem studium non omnino irritum fuit. Omnes enim epistolæ ejus politæ quidem sunt et limatæ, sed nimis sæpe dedita opera quæsitæ sententiæ videntur animusque potius rigido frigore, quam jucunda hilaritate illis epistolis legendis perfunditur, quia sermo in iis tantum abhorret ab illo, quod in epistolis exspectamus, familiari et minus elaborato genere dicendi, ut non epistolas, sed disputatiunculas te legere credas ac potius existimes, scriptorem in animo habuisse erudite de re proposita disserere quam familiari colloquio amico reconditos animi sensus, cogitationes, voluntates simpliciter effundere, quod ipsum proprium est epistolarum. Præterea, qua Plinius erat vanitate et inconstantia, ne imperitorum quidem judicia negligere audebat [1]), cumque libenter suas ipsius virtutes quasi conspiciendas demonstret, inde animi eorum, qui legunt, injucunde afficiuntur. Nescio an præstantissimus fuerit Plinius in amoenitatibus locorum describendis [2]), in fabellis narrandis [3]), in domesticis rebus depingendis [4]), sed in his locis sæpe concisæ et quasi dissipatæ sunt sententiæ omnisque oratio colore quodam poëtico est perfusa, id quod magis etiam cernitur in Panegyrico, ubi omnibus dicendi artificiis ornare argumentum et sententiarum inopiam studuit celare. Præterea cum in eo ad humillimas blanditias descenderit adeoque extra modum in laudibus Trajani celebrandis vel potius depingendis egressus sit, ut eum secundum a Jove dicat [5]) atque etiam diis ipsis præponat et ejusmodi ineptias ebulliat, hæc declamatio non potest tædium non movere.

[1]) 2, 5. [2]) 2, 17. 5, 6. 8, 8. 8, 20.
[3]) 9, 33. [4]) 2, 20, 3. [5]) Cfr. Pan. 40. 74. al.

Sed exemplis ostendam, quatenus Plinius ætatis suæ judicio serviverit et quibus maxime vitiis hujus ætatis propriis laboret, et eam quidem sequar rationem, ut primum in universum disputem de toto orationis habitu, deinde singula verba aurea, quæ vocatur, ætate aut inusitata aut certe rara enumerem, tum de grammatica ratione dicam.

Ex universo quidem orationis habitu magis quam e singulis verbis et ratione grammatica apparet, quantum ab aurea, quam vocant, latinitate sermo Plinianus abhorreat. Plinius enim, cum et ingenium ostentare vellet et jam inde ab initio epistolas suas vulgare constituisset, id ante omnia spectabat, ut oratio perpolita et nova et arguta videretur, qua in re cum omnem fere curam poneret, factum est, ut, dum apta novaque verba argutasque sententias sectatur et orationis formam limare studet, res negligeret et sententiis potius acutis quam ad docendum aptis serviret. Ex hoc studio fluxerunt multi illi "loci communes", qui vocantur, apud Plinium frequentissimi. Qui "loci communes" cum judicio et suo loco collocati quamquam magnam vim orationi addunt, tamen crebrius interpositi non possunt iis, qui legunt, tædium non afferre. Ex magna autem copia hæc fere exempla "locorum communium" afferenda putavi:

Gratia malorum tam infida est quam ipsi 1, 5, 16. Alienæ laudes parum æquis auribus accipi solent 1, 8, 6. Sequi gloria, non adpeti debet 1, 8, 14. Summa ratio — sapientibus pro necessitate est 1, 12, 3. Perit gratia, si reposcatur 1, 13, 6. Hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus 1, 14, 10. Quod dubites, ne feceris 1, 18, 5. Aliud alios movet, ac plerumque parvæ res maximas trahunt 1, 20, 12. Mala emptio semper ingrata 1, 24, 2. Magis viva vox adficit 2, 3, 9. Numerantur sententiæ, non ponderantur 2, 12, 5. Nihil æque gratum est adeptis quam concupiscentibus 2, 15, 1. (Eloquentia) male sine moribus discitur 3, 3, 7. Quamlibet sæpe obligati si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est 3, 4, 6. Optime libertati venia obsequio præparatur ibid. 8. Multi famam, conscientiam pauci verentur 3, 20, 8. Vinci in amore turpissimum est 4, 1, 5. Recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia 4, 7, 3. Magis in studiis homines timor quam fiducia decet 5, 17, 3. Honesta consilia vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur 5, 9 (21), 7. Qui invidet, minor est 6, 17, 4. Nec me præterit, usum et esse et haberi optimum dicendi magistrum 6, 29, 4. Ajunt multum legendum esse, non multa 7, 9, 16. Timor est emendator asperrimus 7, 17, 13. Fruendis voluptatibus crescit carendi dolor 8, 5, 2. Quod fidissimum præcipiendi genus, exemplis docebantur Ibid. 6. Tanto brevius omne, quanto felicius tempus Ibid. 10. Ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur 8, 20, 1. Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio adquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor 8, 24, 6. Tunc præcipua mansuetudinis laus, cum iræ causa justissima est 9, 21, 2. Nimia cura deterit magis quam emendat 9, 35, 2. Cfr. 9, 26, 2—3.

In Panegyrico autem frequentissimi sunt tales "loci communes."

Merenti gratias agere facile est Pan. 3. Habet has vices condicio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur Pan. 5. Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus Pan. 7. Æquiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit Ibid. Major sit obsequii gloria in eo quod quis minus velit Pan. 9. Nullum est magno principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros Pan. 26. (Princeps) frustra proceres plebe neglecta, ut desectum corpore caput nutaturumque instabili pondere, tuetur Ibid. Liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit Pan. 43. Detestentur malos principes etiam qui malos faciunt Pan. 44. Præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt Ibid. In alio sua quemque natura delectat Pan. 45. Infidelis recti magister est metus Ibid. Melius homines exemplis docentur Ibid. (Discimus) fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam Pan. 49. Frustra se terrore succinxerit qui septus caritate non fuerit Ibid. Armis arma inritantur Ibid. Nihil non parum grate sine comparatione laudatur Pan. 53. Neque enim satis amarit bonos principes qui malos satis non oderit Ibid. (Licet futuros principes sub exemplo præmonere) nullum locum, nullum esse tempus, quo funestorum principum manes a posterorum execrationibus conquiescant Ibid. Ingeniosior est ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore Pan. 55. Laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest Pan. 56. Magnum est differre honorem, gloriam majus Ibid. Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet Pan. 59. Melius omnibus quam singulis creditur Pan. 62. Neque enim umquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit Pan. 66. Turpis tutela principis, cui potest imputari Pan. 68. Ibi intemperantius amamus bonos principes, ubi liberius malos odimus Ibid. (Priorum principum exitus docuit) ne a diis quidem amari, nisi quos homines ament Pan. 72. Multa excogitat metus Ibid. Est demum

vera felicitas felicitate dignum videri Pan. 74. Voluptates sunt, voluptates, quibus optime de cujusque gravitate sanctitate temperantia creditur Pan. 82. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur Pan. 83. Nihil est tam pronum ad simultates quam æmulatio, in feminis præsertim Pan. 84. Pejor odio amoris simulatio Pan. 85. Amari, nisi ipse amet, non potest Ibid.

"Similitudinibus" quoque crebris oratio Plinii est distincta, quarum quidem, cum longiores sint, propter spatii angustias non possum nisi perpauca afferre exempla:

Ut corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur 1, 20, 3. (Cfr. ibid. 16). Ut certus siderum cursus ita vita hominum disposita delectat 3, 1, 2. Ut faces ignem adsidua concussione custodiunt, dimissum ægerrime reparant, sic et dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissione languescit 4, 9, 11. Ut in corporibus sic in imperio gravissimus est morbus qui a capite diffunditur 4, 22, 7. Ut crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes reicit ac refugit, mox desiderat et clementer admotis adquiescit 5, 16, 11. Ut terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur 7, 9, 7. Sicut maris cælique temperiem turbines tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim Pan. 5. Est hæc natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur Pan. 19. Neque a te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine et cædibus nutriuntur Pan. 27. Tu simul omnia profudisti, ut sol et dies non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri sed omnibus in commune profertur Pan. 35.

Plinius autem, cum elaboratæ concinnitati studeret et id præcipue ageret, ut quam maxime quasi eminerent atque exstarent singula verba, in quibus aliqua vis inesset ac pondus, "contraria", quæ Græci vocant ἀντίθετα, contrariis opposuit diversissimis modis idque tam frequenter et nonnumquam sine causa, ut verbis eum ludere non sensus animi cogitationesque exprimere credas velle, quod hæc exempla ostendent:

Temptavi imitari *Demosthenen* semper *tuum*, *Calvum* nuper *meum* 1, 2, 2. Tu modo enitere, ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris 1, 3, 5. Non mehercule tam mea sunt quæ mea sunt, quam quæ tua 1, 4, 2. Si silenda feceris, factum ipsum, si laudanda non sileas, ipse culparis 1, 8, 15. Eundem antequam scribam, eundem cum scripsi, eundem etiam cum remittor, non tamquam eundem lego 1, 16, 7. Tanti viri *mortalitas* magis finita quam *vita* est 2, 1, 10. *Parum* immo *nimium* meminisset 3, 14, 1. Ibi plurimum scribo nec *agrum*, quem non habeo, *sed ipsum me* studiis *excolo;* ac jam possum tibi ut aliis in locis *horreum* plenum sic ibi *scrinium* ostendere 4, 6, 2. Nec tamen adhuc possum pronuntiare, utrum sit difficilius *capere* aliquid an *scribere* 5, 18, 2. (In proximis exemplis duobus admodum ineptæ sunt contentiones). Respondit mihi Fontejus Magnus *plurimis verbis*, *paucissimis rebus* 5, 20, 4. Quam dubium est, an merito accusetur qui an omnino accusetur incertum est? 7, 10, 3. Quisquis ille, sileatur, quem *insignire exempli nihil*, *non insignire humanitatis plurimum* refert 8, 22, 4. Habe ante oculos hanc esse terram, quæ leges *non victis*, *sed petentibus* dederit 8, 24, 4. Neque enim periculum est ne sit *nimium* quod esse *maximum* debet 8, 24, 10. His *nulla*, illis *non nulla* laus 9, 26, 2. Ita *singulis* veniam ut *non singulis* dabis 9, 29, 2. Venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut, quamvis *nihil* ceperim, *non nihil* referam 9, 36, 6. Non de *tyranno* sed de *cive*, non de *domino* sed de *parente* loquimur Pan 2. Sentit *sibi*, *non principi* dici Ibid. Persuadendum provinciis erat illud iter *Domitiani* fuisse, *non principis* Pan. 20. *Hominem* se magis sentiret fuisse quam *civem* Pan. 25. Crescerent *de tuo* qui crescerent *tibi* Pan. 26. Cavisti, ne *fundata* legibus civitas *eversa* legibus videretur Pan. 34. Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam *non crudelitatis*, sed *amoris* excubiis, non *solitudine et claustris*, sed *civium celebritate* defenditur Pan. 49. Tu *nihil amplius* vis *tibi* licere quam *nobis:* sic fit ut *nos tibi plus* velimus Pan. 65.

Quam multa etiam in illis exemplis, quæ ex immensa copia attuli, quæsita videntur! Verum illa quidem parva sunt. Ad majora dicendi artificia veniamus. Nam haud raro "commutatio" illa, quam Græci vocant ἀντιμεταβολήν, invenitur:

Ii qui benefacta sua verbis adornant non *ideo prædicare, quia fecerint, sed ut prædicarent fecisse* creduntur 1, 8, 15. Liberti mei non *idem* quod *ego* bibunt, sed *idem ego* quod liberti 2, 6, 4. Jucundum utrumque — *laborem otio*, *otio laborem* variare 8, 8, 4. Ego optimum et emendatissimum existimo, qui *ceteris ita ignoscit, tamquam ipse cotidie peccet, ita peccatis abstinet, tamquam nemini ignoscat.* 8, 22, 2. Unum illud addam omnia mihi *tanto laudabiliora* visa *quanto jucundiora, tanto jucundiora quanto laudabiliora* erant 9, 31, 2. Non *oculos animo*, sed *animum oculis* sequor 9, 36, 2. *Tibi terras, te terris* reliquit Pan. 10. Meruisti proxima moderatione, ut non

ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed *triumphare, quia viceris* Pan. 17. Quem ad modum cessit? Non *se ut privatis*, sed ut *privatos sibi* pares faceret Pan. 60. Ut enim felicitatis est *quantum velis posse*, sic magnitudinis *velle quantum possis* Pan. 61. Non *consulatus hominibus isdem*, sed *iidem homines consulatibus* reddebantur Ibid. O prava et inscia veræ majestatis ambitio, *concupiscere honorem quem dedigneris, dedignari quem concupieris* Pan. 63. Non est *princeps super leges*, sed *leges super principem* Pan. 65.

Neque infrequentiora sunt "oxymora", quæ vocantur:

Scribo plurimas, sed *inlitteratissimas litteras* 1, 10, 9. Scis quam sit *amor iniquus* interdum 2, 2, 1. Nihil est tam *inæquale* quam *æqualitas* ipsa 2, 12, 5. Cfr. Nihil est ipsa *æqualitate inæqualius* 9, 5, 3. In hac quoque *diversitate æqualitatis* ratio servata est Pan. 25. Habet etiam multum jucunditatis ipsa illa *peregrinatio* inter *sua* 3, 19, 4. Nihil denique præter *ingenium insanum* 4, 7, 4. *Lumen obscurum*, umbra premente 5, 6, 38. Homo *felicior*, ante quam *felicissimus* fieret 5, 18, 1. Contigit tibi ut pater patriæ *esses*, ante quam *fieres* Pan. 21. Hoc ita me *delectet*, ut *torqueat* 6, 7, 3. Quamquam *absens*, totus *huc* migrasti 6, 28, 1. Æstima tu, quæ vita mea sit, cui *requies* in *labore*, in *miseria curisque solacium* 7, 5, 2. Est quædam etiam *dolendi voluptas* 8, 16, 5. Per hos dies libentissime otium meum in litteris conloco, quos alii *otiosissimis occupationibus* perdunt 9, 6, 4. Nihil peccat, nisi quod nihil peccat 9, 26, 1. Famam *liberalitatis avaritia* petunt 9, 30, 2. Nemo *miseras voluptates* unco et ignibus expiavit Pan. 33. *Crimen* eorum, qui *crimine vacarent* Pan. 42. *Mitis severitas* Pan. 80 [1]).

Creberrima vero sunt in eadem sententia posita vocabula, quæ in incipiendo aut cadendo eundem fere sonum referant, quorum tamen, quia permulta sunt, pauca modo afferam, præsertim cum similis ille sonus facile possit fortuitus esse:

Amavi consummatissimum juvenem tam *ardenter*, quam nunc *impatienter* requiro 2, 7, 6. *Legendi* semper occasio est, *audiendi* non semper 2, 3, 9. Equidem beatos puto quibus datum est aut facere *scribenda* aut scribere *legenda* 6, 16, 3. Neque enim *reliquisse* opes filiæ, sed *reddidisse* quibus auctus per filiam fuerat 8, 18, 3. Cfr. Cogita te missum in Achaiam, illam *veram* et *meram* Græciam 8, 24, 2. Non

---

[1]) Cfr. "Insanientis sapientiæ" Hor. Od. 1, 34, 2. "Strenua inertia" Hor. Ep. 1, 11, 28. "Cum ratione insanias" Ter. Eun. 1, 1, 18. "Innumero numero" Lucr. 2, 1053.

consummata, sed tantum *commutata* videantur Pan. 51. Istæ quidem *æreæ* (statuæ) et paucæ manent manebuntque; illæ autem *aureæ* et innumerabiles strage et ruina publico gaudio litaverunt Pan. 52. Scis quibus *laudibus* ut *laudandus* viderer effecerit 1, 14, 1. Inter *multa* scelera *multorum* nullum atrocius videbatur, quam quod in *senatu senator senatori* manum intulisset 9, 13, 2. E *spectatore spectaculum* factus Pan. 33.

Sed talia exempla apud quemvis scriptorem invenies, quamquam fortasse rariora sunt certe apud aureæ, quæ vocatur, ætatis scriptores quam apud Plinium. Præterea ut in proximo exemplo superiore, ita sæpissime idem verbum paulum immutatum et deflexum ponitur:

Apud illum quidem *ratio rationem*, apud alios *timorem timor* vicit 6, 16, 16. Video multos, ut bene *agerent agendo* consecutos 6, 29, 5. Superest ne rursus (provincia) agat *poenitentiam poenitentiæ* suæ 7, 10, 3. (Cfr. Curt. 10, 7, 12. "Poenitebat modo consilii modo poenitentiæ ipsius"). Habuit tulitque in *exilium exilii* causam 7, 19, 6. Longior causis *timoris timor* erat 7, 27, 6. Quam non *eadem* de *eodem* nec tamen diversa dixisti 9, 31, 1. Ruens imperium super *imperatorem imperatoris* tibi voce delatum est Pan. 6. Obtulisti congiarium *gaudentibus gaudens securusque securis* Pan. 28. Cum omnia *raperent* et *rapta* retinerent, ut si nihil *rapuissent*, defuerint omnia Pan. 41. Quousque *absentes de absente* gaudebimus? Pan. 59. Cfr. *Absens de absentibus* nemini magis quam tibi crederes Pan. 19. *Nemo omnes, neminem omnes* fefellerint Pan. 62.

Præcipue sic opponuntur formæ activa et passiva ejusdem verbi: *Persuaderi* tibi, etiam cum *persuaserit*, cupias 1, 10, 7. Ea invasit homines habendi cupido, ut *possideri* magis quam *possidere* videantur 9, 30, 4. (Cfr. illud Aristippi: *ἔχω οὐκ ἔχομαι*, quod Cicero vertit: "*habeo non habeor*" Ep. Fam. 9, 26, 2. "Agit (animus) atque *habet* cuncta, nec ipse *habetur*" Sall. Jug. 2, 3.) Ut reversus imperator, qui privatus exieras, *agnoscis, agnosceris!* Pan. 21. Postquam non est cui *suadeatur*, qui *suadeant* non sunt Pan. 41. Jucundissimum est in rebus humanis *amari*, sed non minus *amare* Pan. 85.

Vere Plinianum id quoque est, quod idem verbum in eadem forma bis ponitur aut in eadem enuntiatione, velut:

Amisi enim, *amisi* vitæ meæ testem rectorem magistrum 1, 12, 12. In capite xysti diæta est, *amores* mei, re vera *amores* 2, 17, 20. Hic erit epistulæ *finis*, re vera *finis* 3, 9, 37. *Difficile* est hucusque intendere animum in dolore, *difficile* 3, 10, 6. Librum de

vita ejus recitavit, de *vita* pueri 4, 7, 2. *Facio* nonnumquam versiculos severos parum, *facio* 5, 3, 2. Prata inde *campique: campi*, quos non nisi ingentes boves et fortissima aratra perfringunt 5, 6, 10. Rufum *Varenum* proconsulem detulerunt, *Varenum* 5, 20, 1. *Petit* honores Julius Naso, *petit* cum multis 6, 6, 1. *Obliga* me, *obliga* ante quam dicat 6, 23, 4. *Nomine Pallantis* senatus, nec expiata postea curia est, *Pallantis nomine* senatus gratias agit Cæsari 8, 6, 5. *Recusabas* imperare, *recusabas*, quod bene erat imperaturi Pan. 5. *Hoc* est igitur, *hoc* est quod penitus illos animo Cæsaris insinuavit Pan. 62. *Nescio* jam, *nescio* pulchriusne sit istud quod præeunte nullo, an hoc quod alio præeunte jurasti Pan. 64. Ipse te *legibus* subjecisti, *legibus*, Cæsar, quas nemo principi scripsit Pan. 65. *Voluptates* sunt, *voluptates*, quibus optime de cujusque gravitate sanctitate temperantia creditur Pan. 82.

Aut in fine antecedentis et initio subsequentis enuntiationis, velut:

Collega in præfectura ærarii *fuit*, *fuit* et in consulatu 5, 14 (15), 5. Balineum Hispellates publice *præbent*, *præbent* et hospitium 8, 8, 6. Omnibus adfinitatibus pro cujusque officio gratia *relata* est, *relata* et uxori 8, 18, 7.

Idem quoque verbum paulum deflexum ponitur in fine enuntiationis antecedentis et initio enuntiationis subsequentis, velut:

Sicut aliis vitiis huic quoque providentia sua *occurreret. Occurrit.* 6, 19, 3. Petis, ut Scaurus *veniat. Veniet* 6, 25, 1. Injungis mihi ministerium, ut ad Plotinam litteræ tuæ *perferantur. Perferentur* 9, 28, 1. Meruit et *paruit? paruisti* enim Pan. 9.

Postremo concinnitatis studiosus et ad vim orationis augendam frequentissime usus est "repetitione", quæ græce **ἀναφορά** dicitur, et "chiasmo", qui vocatur, quarum figurarum dicendi unaquæque prope pagina multa suppeditat exempla, quorum pauca afferam:

Quid agit Comum, tuæ meæque deliciæ? *quid* suburbanum amoenissimum? *quid* illa porticus verna semper? *quid* platanon opacissimus? *quid* Euripus viridis et gemmeus? *quid* subjectus et serviens lacus? *quid* illa mollis et tamen solida gestatio? *quid* balineum illud, quod plurimus sol implet et circumit? *quid* triclinia illa popularia, illa paucorum? *quid* cubicula diurna nocturna? 1, 3, 1. *Eram* acturus adulescentulus adhuc, *eram* in quadruplici judicio, *eram* contra potentissimos civitatis 1, 18, 3. Cfr. 5, 14 (15), 8. *Dandum* precibus uxoris, *dandum* filiæ lacrimis, *dandum* etiam nobis amicis ne spes nostras voluntaria morte desereret 1, 22, 9. Hujus viri exequiæ *magnum* ornamentum principi, *magnum* sæculo, *magnum* etiam

foro et rostris attulerunt 2, 1, 6. Cfr. *Liber* — *liber* — *liber* 5, 20, 3. *Dedimus* — *dedimus*, *dedimus* 6, 33, 10. *Imaginare* — *imaginare* — *imaginare* 8, 6, 11—12. *Jam* — *Jam* — *Jam* Pan. 9. *Quam* dulcia illa, *quam* amantia, *quam* arguta, *quam* recta! 4, 3, 4. *Illum* coloribus, *illum* cera, *illum* ære, *illum* argento, *illum* auro effingit 4, 7, 1. *Multa* tenuiter, *multa* sublimiter, *multa* venuste, *multa* tenere, *multa* dulciter, *multa* cum bile 4, 27, 1. Remissa est multa; *sed* timuit, *sed* rogavit, *sed* opus venia fuit 4, 29, 2. Cfr. Pan. 34. *Sed* templum, *sed* forum insederant. *Non* illi vis, *non* granditas, *non* subtilitas, *non* amaritudo, *non* dulcedo, *non* lepos defuit 6, 21, 5. *Veniret quisque*, cum vellet, *veniret quisque* cum posset Pan. 25.

Multo rariora sunt exempla "conversionis", quam Græci *ἐπιφοράν* vocant:

Adhibe solacia mihi, quæ audierim *numquam*, legerim *numquam* 1, 12, 13. Dabis congiaria, *si voles*, præstabis alimenta, *si voles* Pan. 28.

"Chiasmi" autem, qui vocatur, exempla hæc fere afferenda putavi:

Persuasum habeo posse fieri ut sit *actio bona* quæ non sit *bona oratio* 1, 20, 9. Quid illo aut *fidelius amico* aut *sodale jucundius?* 2, 13, 6. (Senibus) *industria sera*, *turpis ambitio* est 3, 1, 2. Talia omnia, ut possint *artificum* oculos *tenere*, *delectare imperitorum* 3, 6, 3. *Comoedos audio* et *specto mimos* et *lyricos lego* et sotadicos intellego 5, 3, 2. *Puer simplicitate*, *comitate juvenis*, *senex gravitate* 6, 26, 1. *Distringor officio*, *amicis deservio*, *studeo interdum* 7, 15, 1. Non *amoribus servit*, non *adpetit honores*, *opes neglegit* 7, 26, 2. Fortasse *iterum rogabo*, *impetrabo iterum* 9, 21, 4. Si *provincias* ex *provinciis*, ex *bellis bella* mandaret Pan. 9. Te *parvuli noscere*, *ostentare juvenes*, *mirari senes*, *ægri* quoque ad conspectum tui *prorepere* Pan. 22. Reddita est amicis fides, *liberis pietas*, *obsequium servis* Pan. 42.

His aliisque dicendi artificiis non magis ad concinnitatem consequendam quam ad singulorum verborum vim ipsa collocatione et oppositione augendam, et quo apertius exstarent sententiarum argutiæ, frequentissime illius ætatis scriptores utebantur. Neque enim moris erat eorum, ut longis et rotundis verborum circumscriptionibus, quales apud Ciceronem, Cæsarem, Livium invenimus, audientes impellerent et quasi abriperent, sed, ut ante dixi, exquisitis verbis et brevibus acutisque sententiis quasi ferire animos studebant et admirationem movere.

Neque vero concinnitatem modo et argutias sed etiam brevitatem Plinius sectatus est præcipue in rebus describendis vel narrandis, velut ubi de pravitatibus temporum dicit, ubi cum indignatione

de flagitiis Domitiani, de nequitia Reguli queritur, ubi amicum bene meritum commendat laudesque alicujus amplificat, ubi amoenitates villarum suarum depingit, ubi gratas quasdam fabellas narrat, ubi horridam, quam erumpentes ignes Vesuvii montis ediderunt, stragem oculis legentium quasi subjicit. Tum incitatiore cursu fluit oratio, tum sententias incisas et quasi decurtatas alias juxta alias ponit, omissis particulis connectentibus, quarum in usu sæpe negligentior est, tum numeros modosque negligit multaque ei, qui legit, intelligenda et supplenda relinquit. Raro quidem talis est oratio Plinii, sed nonnumquam tamen in illud vitium toti ætati commune propriumque incidit, id quod his exemplis ostenditur:

Primum autem brevitatis studium apparet in "dissolutione" illa (Græci vocant ἀσύνδετον), qua frequentissime usus est et brevitatis causa, et ut vehementiam quandam orationi conciliaret, velut:

Jam dies alter tertius quartus: abstinebat cibo 1, 12, 9. (Cfr. totam ep. 1, 5). Ex his apparet illum (Ciceronem) multa dixisse, cum ederet, omisisse 1, 20, 7. Veniet; vereor ne frustra 6, 25, 2. Uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit 9, 19, 8. (In his exemplis particula adversativa abest, qua re enuntiationum concursus asper quodammodo et hiulcus fit). Delectare persuadere copiam dicendi spatiumque desiderat 1, 20, 18. Poposcit tabellam, stilum accepit, demisit caput, neminem veretur, se contemnit 4, 25, 4. (Cfr. 5, 5, 5. 5, 6). Sedebant judices, decemviri venerant, obversabantur advocati, silentium longum, tandem a prætore nuntius 5, 9 (21), 2. (Cfr. totam ep. et 6, 20, 14—15). Serpit per coloniam fama: Concurrere omnes, ipsum puerum tamquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident litus, prospectant mare et si quid est mari simile. Natant pueri, inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum. Fugit ille cum ceteris. Delphinus quasi invitet revocet, exilit mergitur variosque orbes implicat expeditque 9, 33, 5. (Cfr. totam ep.).

Deinde studium brevitatis cernitur in "detractione", quam Græci vocant ἔλλειψιν, satis usitata. Omissa sunt autem:

1) Substantiva, velut: Verania Pisonis *(aud. uxor*, ut sæpe apud poëtas) graviter jacebat 2, 20, 1. Similiter: Patronam habuit Thermuthin Theonis 10, 5 (4), 2. Rogo ut des civitatem Chrysippo Mithridatis *(aud. filio)* uxorique Chrysippi, Stratonicæ Epigoni *(aud. filiæ)* 10, 11 (6), 2. Apud omnes scriptores omitti solent verba, quæ sunt "filius et filia" (Cfr. Liv. 25, 37, 8. "Hasdrubalem Gisgonis"), ac multo etiam duriores sunt apud ipsum Ciceronem detractiones

(Cfr. Cic. Fin. 5, 5, 13 et Madvigium ad h. l.). Forsitan per ellipsin explicandum sit, quod legitur 2, 11, 12. Stabat modo consularis, modo *septemvir epulonum*, jam neutrum. (Cfr. L. Grasberger, "De Usu Pliniano", Wirceburgi 1860). Potius tamen pro genitivo partitivo "epulonum" vocabulum habendum esse videtur. Post solem plerumque frigida *(aud. aqua)* lavabatur 3, 5, 11. 6, 16, 5. (Cels. Quint. Suet.). Surgebat hieme intra primam *(aud. horam*, ut est ap. Cic. Phil. 2, 31, 77. Rosc. Am. 7, 19, al.) noctis 3, 5, 13. Summa macies, summa defectio (*aud. virium*, ut est ap. Cic. Sen. 9, 29) 7, 19, 3. (Tac.). Cui decus muralis *(aud. corona*, ut est apud Liv. 23, 18, 7) aut civica *(aud. corona*, ut legitur ap. Cic. Planc. 30, 72. Liv. 10, 46, 3) Pan. 13. "Civica" eodem modo absolute, ut aiunt, usi sunt Sen. et Quint. Nec tibi opima *(aud. spolia*, ut est apud Verg. et Liv.) defuerint Pan. 17. Ascendere curulem *(aud. sellam)* Pan. 59. 61. 71. 77. (Tac. Suet. Flor. Mart. Lucan. Stat. al.).

Illis locis addatur: Piaculari *(aud. sacrificio*, ut est apud Liv. 1, 26, 13) dato alienis poenis elaberentur 3, 9, 9. Etiam Livius absolute, ut aiunt, posuit 42, 3, 10. Ejusmodi locutiones inde ortæ videntur, quod, cum usu trita esset certorum verborum conjunctio, prope supervacaneum videbatur addere, quod, quisquis audiebat aut legebat, facillime ipse poterat supplere [1]).

Multo autem sæpius quam substantiva omittuntur verba non solum in primariis enuntiationibus sed etiam in secundariis. In primariis autem enuntiationibus apud Plinium ut apud ceteros scriptores usitatissima est ellipsis verborum *dicendi* et *sentiendi*, *faciendi*, *eundi et veniendi* [2]), maximeque verbi substantivi *esse*, quod non in iis modo formis, quæ ab aliis omitti solent, velut "*est, sunt, esse*", audiendum est, sed etiam in aliis formis, quæ apud veteres scriptores excepto Sallustio rarissime desunt:

Hæsitabundus: "interrogavi *(aud. inquit)*, non ut tibi nocerem, sed ut Modesto" 1, 5, 13. (Regulus ap. Pl.). Ad hoc ille "rogo cognoscas" 5, 1, 4 et sæpissime (Cfr. ep. 1, 5). Qua ex causa sæpe ipse mecum *(aud. delibero, cogito)*, nobisne tantum composuisse an et aliis debeamus 1, 8, 7. Sed nimis cito de futuris *(aud. judicamus)* 3, 20, 9. — Studes, an piscaris, an venaris, an simul omnia *(aud. facis)?* 2, 8, 1. Tu quidem honestissime *(aud. facis)*, quod tam impense rogas 7, 14, 1.

[1]) Cfr. præterea quæ de adjectivis substantivorum loco positis disputavimus, quæ ratio satis consimilis est.

[2]) Cfr. Nägelsbach, "Lateinische Stilistik", dritte Auflage, Pag. 507 sequ. Seyffert, "Palæstra Ciceroniana", Vierte Auflage, Pag. 17—18. Krüger, "Lat. Grammat." § 662.

Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus *(aud. fecit)*, donec homines subiret timendi pudor 9, 33, 6. Sed di melius *(aud. fecerunt)*, qui omnia integra bonitati tuæ reservarunt 10, 2, 3. Cfr. Cur enim non ego quoque poëtice cum poëta *(aud. agam)?* 8, 4, 5. — Nuntius a Spurinna *(aud. venit)* 1, 5, 9. Cfr. Tandem a prætore nuntius 5, 9 (21), 2. Verum illuc unde coepi *(aud. revertar*, ut sexcentis locis apud Ciceronem aliosque) 5, 6, 44. Inde tu in palatium quidem *(aud. ivisti, te contulisti)* Pan. 23. — Jam dies alter tertius quartus *(aud. erat)*: abstinebat cibo 1, 12, 9. Tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam *(aud. erat)*, ut posset senes provocare virtute 2, 7, 4. Utrimque fenestræ, a mari plures, ab horto singulæ, sed alternis pauciores 2, 17, 16. (Cfr. totam ep.). Quoto cuique eadem honestatis cura secreto quæ palam? 3, 20, 8. Pauci dies, et liber principis severus et tamen moderatus 5, 13 (14), 8. Mox balineum, cena, somnus inquietus et brevis 6, 20, 2. Jam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies 6, 20, 6. Cfr. 6, 33, 4. Inde invidia 6, 31, 3. Tantane perseverantia tu modo in Lucania, modo in Campania? 7, 3, 1. Quousque calcei nusquam, toga feriata, liber totus dies? 7, 3, 2. Intra quartum et vicensimum annum maritus, et si deus adnuisset, pater 7, 24, 3. Initio, quale ubique, silentium noctis, dein concuti ferrum, vincula moveri 7, 27, 8. Horror omnium 7, 33, 8. Opportune senatus intra diem tertium 9, 13, 6. Eadem quippe sub principe virtutibus præmia quæ in libertate, nec bene factis tantum ex conscientia merces Pan. 44. In illis locis et similibus apta forma verbi "esse" audienda est.

Vix opus est me docere, in locutionibus, quæ in proverbii consuetudinem venissent, Plinium sæpissime verbum omisisse, velut:

Regulo ne tantulum quidem *(aud. legavit)* 2, 20, 8. Similiter nos, ut parva magnis *(aud. conferamus, componamus)* 5, 6, 44. Cfr. Verg. Ecl. 1, 23. Sed quid commoror in re omnibus scriptoribus trita satisque pervulgata?

Rarior est apud veteres scriptores ellipsis verbi in enuntiationibus secundariis, qua nihil usitatius apud Plinium et æquales, velut in enuntiationibus temporalibus:

Hunc, quoad viridis ætas, vicit et fregit 1, 12, 5. Quam diu ego trans Padum, tu in Piceno, minus te requirebam; postquam ego in urbe, tu adhuc in Piceno, multo magis 6, 1, 1. Nobis ne tunc quidem abeundi consilium, donec de avunculo nuntius 6, 20, 20. Nos juvenes fuimus quidem in castris; sed cum suspecta virtus, inertia in pretio 8, 14, 7. Ubi hora quarta vel quinta, in xystum me vel cryptoporticum confero 9, 36, 3. Cum rursus curulis rursusque purpura Pan. 61.

In enuntiationibus conditionalibus:

Si quid otii, jacebat in sole 3, 5, 10. Cfr. 7, 4, 8. Has, etiam si mihi tenuis ex iis spes, destino retractare 5, 8, 6. Si longior in cubiculo mora, exitus negaretur 6, 16, 14. Nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata et quidem pariter accipimus 7, 20, 6. Si fixum tibi istud ac deliberatum, sequar te, ut, si qua ex hoc invidia, non tantum tua 7, 33, 6. Mihi certe, si modo in urbe, defuit numquam 8, 12, 2. Ac mihi nisi præmium æternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium placeat 9, 3, 1. Non interdum facis quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? 9, 12, 1. Cogito, si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique similis 9, 36, 2.

Rarior est ellipsis verbi in enuntiationibus finalibus:

Similiter nos, ut parva magnis *(aud. conferamus, componamus)* 5, 6, 44. Hanc locutionem in proverbii consuetudinem venisse, supra indicavi. Ne quid simile istic *(aud. evenerit)* pro mensura periculi vereor 8, 17, 6.

Usitatior est ellipsis verbi in enuntiationibus causalibus:

Graviter irascor quod a te tam diu litteræ nullæ 2, 2, 1. Sed h. l. audiri potest verbum ex insequente verbo, quod est *miseris.* Quod factum ne mihi quidem, qui municeps, nisi proxime auditum est, non quia minus illo clarissimo Arriæ facto, sed quia minor ipsa 6, 24, 5. In nonnullis editionibus sine justa causa additur verbum *est.* Audito pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur 7, 27, 7. Ad quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita neglegimus, seu quia ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur, seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio 8, 20, 1.

In enuntiationibus relativis:

Cujus generis quæ prima occasio tibi, conferas in eum rogo 3, 2, 6. Quod reliquum temporis, studiis reddebat 3, 5, 9. Ubi aquæ plurimum, palus nulla 5, 6, 11. Harum alia areolæ illi, in qua platani quattuor, imminet 5, 6, 27. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiæ, alienum consilium suo præfert 6, 20, 7. Quin ergo aliquando in urbem redis? ubi dignitas honor amicitiæ tam superiores quam minores 7, 3, 2. Cum obvenisset mihi hereditas, in qua prædia ista, scripsi ei venalia futura 7, 11, 6. Quamquam tu vero, quæ tua humanitas, nulla ridebis 8, 8, 7. Reliquit filiam heredem, quæ illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptaverat

8, 18, 2. Quisquis ille, qualiscumque, sileatur 8, 22, 4. In præsentia quidem, quisquis paulo vetustior miles, hic te commilitone censetur Pan. 15.

Ne in interrogativis quidem enuntiationibus indirectis, quæ vocantur, rara est ellipsis verbi, velut:

Vides quod periculum si respondissem "bene", quod flagitium, si "male" 1, 5, 5. Imaginare quæ sollicitudo nobis, qui metus 2, 11, 11. Dixerunt se deceptos, lapsine verbo *(aud. sint, incertum, dubium est)*, an quia ita sentiebant 5, 4, 2. Pertinet ad profectum tuum a disertissimo viro discere, quid laudandum, quid reprehendendum 8, 13, 1. Cfr. 8, 14, 6. Verane hæc adfirmare non ausim 9, 13, 25. Posteris an aliqua cura nostri nescio 9, 14, 1.

Frequenter autem ex verbo antecedente, etiamsi admodum longe remotum est, aut ex subsequente alia ejusdem verbi forma audienda est, aut ex ipsa verborum continuatione supplendum aptum verbum, ut ex his exemplis intelligitur:

Illud enim nec di sinant, ut infirmior *(aud. audiam* ex antecedentibus verbis *"auditurus sum")* 2, 2, 3. Iterum clamor *(aud. auditur* ex antecedente *"audit")*, iterum reticuit 2, 14, 11. Quomodo te veteres Marsi tui? *(aud. tractant*, quod subsequitur) 2, 15, 1. Deinde considit, et liber rursus *(aud. legitur*, quod antecedit) aut sermo libro potior *(aud. explicatur* ex antecedente *"explicantur")* 3, 1, 5. Necessarium credidi elaborare ut constaret ministerium crimen esse: quod nisi effecissem, frustra ministros *(aud. nocentes esse* ex verbis illis, quæ antecedunt, *"nisi illo nocente"* § 12) probassem 3, 9, 14. Simplicius et amicius visum est omnia *(aud. exhibere* ex antecedente *"exhiberem")* 3, 10, 4. Utinam! *(aud. possem* ex antecedente *"potes")* 5, 8, 7. Hoc tunc ego *(aud. recordabar*, quod antecedit) 6, 27, 4. Illud quoque egregie *(aud. fecisti* ex verbis illis, quæ antecedunt, *"recte fecisti"* § 1) 6, 34, 2. Invicem tu, si quid istic epistula dignum, ne gravare *(int. scribere* ex verbis illis, quæ leguntur § 11: *"habes omnes fabulas urbis")* 8, 18, 11. Hoc quoque non dissimile, quod ad mare tu, ego ad Larium lacum *(aud. ædifico*, quod antecedit) 9, 7, 1. Addis melius rectiusque Frontinum *(int. fecisse)*, quod vetuerit omnino monumentum sibi fieri 9, 19, 1. Primum est autem suo esse contentum, deinde *(int. decet, oportet)* quos præcipue scias indigere sustentantem foventemque orbe quodam socialitatis ambire 9, 30, 3. Merito necne *(aud. æquaveris*, quod antecedit), neutram in partem decernere audeamus Pan. 91. In eodem genere Grasberger [1]) posuit locutionem, quæ est: Quos latine *(int. loqui)* hujus libelli amor docuit 7, 4, 9.

[1]) l. l. pag. 14.

Vix opus est me monere, eodem modo substantiva quoque audiri, velut:

Quæ ipsi *(aud. κατὰ σύνεσιν*, ut aiunt, *philosophi* ex antecedente voce *"philosophiæ")* doceant 1, 10, 10. Subsistemus fortasse et sequenti *(aud. die*, quod antecedit) 4, 1, 6. Quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset *(aud. hereditatem)*, ut non amplius quam quarta *(aud. pars)* remaneret? 5, 1, 9.

Brevitatem vero consecutus est etiam usu illius figuræ, quæ "zeugma" vocatur, velut:

Nec ipse meorum *lusibus* nec illi studiis meis *obstrepunt* 2, 17, 24. *Fulguribus* illæ et similes et majores erant 6, 20, 9. (Vocabulum, quod est *"fulguribus"*, pro dativo et ablativo habendum est). Similiter: Ne *sermonibus* quidem malignis aut attendit aut alitur 7, 26, 2. Ad abstinentiam rursus non secus ac modo ad balineum *animum* vultumque *composui* 7, 1, 6.

"Reticentiæ" autem, quæ græce *ἀποσιώπησις* dicitur, exempla hæc annotavi:

Nunc vero — sed nihil volo de amico meo adrogantius dicere 4, 15, 9. Tanta Pallantis ipsius — quid dicam nescio 8, 6, 15. Nuper quidam — sed melius coram 8, 22, 3. Cfr. Militem jussit caudam equi — reliqua nosti 3, 9, 11.

Alia figura commemoranda est *ἓν διὰ δυοῖν: Sensum* quendam *voluptatemque* percipio 1, 10, 12. Spurinna Bructerum regem *vi* et *armis* induxit in regnum 2, 7, 2. Omnes qui *gloria famaque* ducuntur 4, 12, 6. Adjacentis hippodromi *nemus comasque* prospectat 5, 6, 19. Sæpe inter se majores minoresque quasi *cursum certamenque* desumunt 8, 20, 7.

Brevitatis autem studium in eo quoque cernitur, quod frequenter verbis utitur, quibus significans quædam vis subjecta sit, velut:

Modus ruris, qui avocet magis quam distringat *(int. avocet a curis)* 1, 24, 3. Distringebar frigidis negotiis, quæ simul et avocant *(int. a studiis litterarum)* animum et comminuunt 9, 2, 1. Ab iis quæ avocant *(int. a meditatione)* abductus et liber 9, 36, 2. (Sen. Quint.). Rogas ut pauculos dies, certe proximum, excusem *(int. pauculorum dierum dilationem excusando impetrem)* 1, 18, 1. Summa est facultas *(int. dicendi*, ut ap. Cic. Brut. 95, 327) 2, 3, 1. Cfr. 1, 20, 18. Adsiduitate nimia facilitas magis quam facultas paratur 6, 29, 5. Utrique eadem regio *(int. ubi nati eramus)* 2, 1, 8. Cfr. Ornamentum regionis meæ 7, 22, 2. (Consimilis est locus Hor. Ep. 1, 15, 2). Oppida nostra *(int. ubi nati sumus)* unius diei itinere dirimuntur 6, 8, 2. (His locis intelligi *patriam regionem, patria oppida* ex universa enuntiatione

apparet). Post solem plerumque frigida lavabatur 3, 5, 11 *(int. post aprícationem in sole*, ut est apud Cic. Att. 7, 11, 1). Celer, cui Cornelia obiciebatur *(int. Corneliæ incestus)* 4, 11, 10. Faveo sæculo, ne sit sterile et effetum *(int. favore sæculi ductus opto)* 5, 17, 6. Frangeret me infirmitas *(int. valetudinis*, ut est ap. Cic. Fam. 7, 1, 1, al.) liberti mei Zosimi 5, 19, 2. Cfr. 8, 16, 1. 8, 19, 1 Infirmitate uxoris turbatus. 10, 11 (6), 1. (Suet. Tac. Quint. Just.). Egi pro Vareno non sine eventu *(int. prospero)* 5, 20, 2. (Tac.). Quem ad modum, cum alter puniendos (*int. capite*, ut est § 23 et ap. Liv. 3, 55, 14), alter censeat relegandos, videri potest una sententia? 8, 14, 19. 21. Cum stridunt funes, curvatur arbor *(int.mali*, ut est apud Verg. Aen. 5, 504) 9, 26, 4. (Lucan. Sil. Juv.). Egressus statim se recipiebat in principem *(int. principis arrogantiam)* Pan. 76.

In eodem fere genere ponendi sunt loci, in quibus verba absolute, ut aiunt, posita sint, velut:

Studes *(addi solet "litteris")*, an piscaris, an venaris, an simul omnia? 2, 8, 1. Cfr. 1, 6, 2. 1, 15, 3. 2, 13, 5. 3, 5, 8. 4, 13, 3. 4, 16, 3. 5, 5, 5. 5, 18, 2. 6, 16, 5. 7. 7, 9, 1. 16. 7, 13, 1. 7, 15, 1. 7, 21, 1. 7, 24, 5. 7, 30, 4. 8, 8, 7. 8, 9, 1. (Quint. Tac. Suet.). Similiter studiosus dicitur pro *litterarum*, *doctrinarum*, *artium* studioso. Est hæc quoque studiosis non injucunda cognitio 3, 5, 2. Cfr. 4, 13, 10. 4, 28, 2. 6, 6, 3. 8, 12, 1. (Hor. Quint. al.). Rogo ut non tantum universitati ejus adtendas (*animum* addere solent veteres scriptores, ubi Dativus sequitur) 1, 8, 3. Cfr. 7, 26, 2. (Suet.). Quamvis enim quietis amore secesseris, insidet tamen animo tuo majestatis publicæ cura 2, 11, 1. Cfr. 1, 9, 3. 8, 9, 1. (Etiam Quint. et Suet. absolute, ut aiunt, usi sunt voce de eo, qui rus in otium ab urbe se recipit. 3, 7, 6 addita sunt vocabula *"ab urbe"*). Multa in Euphrate sic eminent et elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant 1, 10, 5. Cfr. 9, 26, 6. (Tac. Sen.) Liv. 1, 12, 10 nunc legitur *"averterat."* Sed *convertere* apud Liv. absolute, ut aiunt, dicitur pro eo, quod est *ad se convertere*. (Cfr. Liv. 1, 7, 7. al.). Optimi scriptores dicebant *ad se convertere*). Cum omnes qui profitentur *(int. artem dicendi)* audiero, quid de quoque sentiam scribam 2, 18, 3. Cfr. 4, 11, 1. 14. (Quint. Suet.). Verania Pisonis graviter jacebat *(int. ægra)* 2, 20, 2. Cfr. 5, 21 (9), 2. (Cfr. Cic. Fam. 9, 20, 3). Repeto me correptum ab eo cur ambularem 3, 5, 16. 7, 6, 7. 13. Quamquam poëtæ, velut Ovid. absolute, ut aiunt, *repetendi* verbum posuerunt pro eo, quod est *memoria repetere*, tamen num præterquam apud Suet. Grammat. 4 et apud Plinium accusativus c. Inf. sequatur, nescio. Ultimus ex Neronianis consularibus obiit *(int. mortem)*. Sic sæpe apud poëtas et apud Liv. (cfr. Liv. 5, 39, 13)

ponitur) 3, 7, 10. 6, 2, 5. Cum Thrasea deprecaretur ne mori pergeret (*int. in consilio moriendi perseveraret*) 3, 16, 10. Coheredes mei conponere (*int. litem*) cupiebant 5, 1, 7. Eodem modo impersonaliter, ut aiunt, positum est Cic. Rosc. Am. 47, 136. Cæs. B. C. 3, 16. Prosecutus est *(int. legatis)* quibus offensior erat 5, 5, 2. Mei quoque nusquam salubrius degunt *(int. tempus, vitam)* 5, 6, 46. (Cfr. Hor. Od. 3, 29, 42. Plin. maj. Tac.). Exprimere *(int. verbis, dicendo)*[1] non possum, quanto sim gaudio adfectus 5, 14 (15), 2. Cfr. 7, 8, 1. 9, 23, 3. (Vell. Suet.). Cfr. Cic. Fin. 2, 2, 6. Addita est vox *verbis* 5, 16, 7. Cfr. 10, 2, 1. 10, 10 (5), 1. A parte heredum intraverunt *(int. in senatum ad causam dicendam)* duo omnino 6, 31, 10. Cfr. 5, 4, 2. Similiter: Marcianus inductus est (*int. in senatum*, quæ verba 5, 20, 2 addita sunt), absente Prisco 2, 11, 9. Cfr. 3, 4, 4. 5, 13 (14), 1. Cfr. Suet. Claud. 40. "Inducta teste in senatu", "Hæc", inquit" cet. Finem cognitioni quæstio inposuit, quæ secundum reos dedit *(int. litem*, ut est ap. Cic. Rosc. Com. 1, 3) 7, 6, 9. (Sen. Tac. Suet.). Jubet sterni (*int. lectum*) sibi in prima domus parte 7, 27, 7.

Multa alia exempla brevitatis Pliniani sermonis possunt afferri; cum vero longum sit et molestum plura enumerare, et ne satietatem legentis moveam et propter spatii angustias hic finem faciam, præsertim cum admodum lubricus sit hic locus, quia adhuc non satis exploratum est, quatenus ejusmodi brevitatem sermonis ceteri scriptores imprimis aureæ, quæ vocatur, ætatis secuti sint.

Plinium autem, qui tantopere in dicendo brevitati inserviret, consentaneum est non sæpe redundanter locutum esse. Nonnulla tamen "pleonasmi", qui vocatur, exempla libet afferre:

Indicavimus senatui ex Norbano didicisse nos causam *rursusque* debere *ex integro* discere, si ille prævaricator probaretur 3, 9, 35. (Cfr. Liv. 5, 5, 6. "Ut *rursus* novus *de integro* his instituendis exsudetur labor."). Campi *deinde porro* multaque alia prata et arbusta 5, 6, 18. (Cfr. Hand. Turs. s. v. "porro" Pag. 482. *"Pergeret porro* ire" Liv. 21, 22, 9). Sic præcipue poëtæ locuti esse videntur. *Rursus* ei pristinam dignitatem celebritatem gloriam *reddet* 7, 24, 9. Abit *rursusque revocatur* 9, 36, 2. (Cfr. Cæs. B. G. 4, 4, 5. *"Rursus reverterunt."* Nep. Alcib. 6, 5. *"Rursus resacrare"*). Ut *ante prædixi* 10, 67 (15), 2. (Cfr. Cic. Phil. 6, 3, 5. *"Ante prædico."* Liv. 21, 20, 8. *"Præoccupatus ante."* al.). Non placido se mollique lapsu *refugum abstulerat* Pan. 30. Cur non *retro* quoque *recurreret* æquitas eadem? Pan. 38. *Retro* secum

---

[1]) Cfr. Seyffert, "Palæstra Ciceroniana", ed. IV, Pag. 44. 203. Krebs, Antib. s. v.

quidquid attigerant *referrent* Pan. 43. (Cfr. Cic. Tusc. 5, 2, 6. "*Retro respicere*"). Sæpissime ap. Verg. Ov. Liv. *retro* vox per pleonasmum usurpatur.

Sæpius verba conjunxit, quæ eandem fere vim habeant, quamquam plerumque in altero "gradatio" quædam inest, ita ut notionis quasi amplificandæ causa additum videatur:

Sequuntur auditores *conducti* et *redempti* 2, 14, 4. Aes ipsum *vetus et antiquum* 3, 6, 3. Usque ad supremum diem *beatus et felix* 3, 7, 2. Ne *satietate et tædio* quodam justitia cognoscentium severitasque languesceret 3, 9, 19. Mirum in modum *adsensio et laus* delectat 4, 12, 6. Proinde *consentite*, *conspirate* 4, 13, 9. Ego te primus *hortarer moneremque* 4, 15, 8. Coelum est hieme *frigidum* et *gelidum* 5, 6, 4. *Lata* et *diffusa* planities 5, 6, 7. His ex causis non adducor ut duo dissimilia et hoc ipso diversa, quod maxima, *confundam misceamque* 5, 8, 11. Nosti facetias hominis, quas velim adtendas ne in *bilem et amaritudinem* vertat injuria 6, 8, 8, Umquamne vidisti quemquam tam *laboriosum* et *exercitum* quam Varenum meum? 6, 13, 1.

In his exemplis aperta inest "gradatio."

Est res *difficilis ardua fastidiosa* 6, 17, 5. Tum mater *orare*, *hortari*, *jubere* quoquo modo fugerem 6, 20, 12. Nonne videtur ipsa lex eos qui dissentiunt in contrariam partem *vocare*, *cogere*, *impellere*? 8, 14, 20. Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta *exemit*, *excussit*, *eripuit* dolor 8, 23, 1. In litteris veteres *æmulatur*, *exprimit*, *reddit* 9, 22, 1.

Nonnumquam pro verbo simplici "circuitu eloquendi" utitur, quo gravior fit oratio:

Superest ne rursus provinciæ quod damnasse dicitur placeat *agatque poenitentiam* poenitentiæ suæ 7, 10, 3. (Val. Max. Curt.). Procuratorem dixit *præpositum rerum curæ Cæsaris* 8, 6, 13. Quam *pari libra* gravitas comitasque 9, 9, 2. Videntur non mediocres pecuniæ posse revocari a curatoribus operum, si *mensuræ* fideliter *aguntur* 10, 17 (28), 5. Opus cujus *curam egerat* 10, 81 (85), 1. (Cfr. Liv. 6, 15, 11. Ov. Her. 16, 302. al.). Sic per verbum "agendi" multi eloquendi circuitus ab omnibus scriptoribus sunt conformati.

Quam studiose autem Plinius poëtas Augusteæ præcipue ætatis lectitaverit ex multis sententiis apparet, quas a poëtis maxime a Vergilio et Ovidio sumptas hic illic orationi interposuit [1]). Ex illo poëtarum studio sermonem Plinii colorem quendam poëticum traxisse, su-

[1]) Cfr. 1, 2, 2. 5, 6, 44. 5, 8, 3. 6, 20, 1. 6, 33, 1. 7, 20, 4. 8, 2, 3. 8, 16, 5. 9, 13, 12.

pra indicavi. Neque tamen puto, aut Plinium aut quemquam æqualium dedita opera quasi fuco poëtico orationem illevisse, sed verba et locutiones, quæ a poëtis superioribus facta Plinii ætate in solutam orationem immigrarent, jam ante credo usu trita in communem dicendi consuetudinem pervenisse, ita ut scriptor ipse ne opinaretur quidem, se in illis verbis utendis poëtice loqui. Color autem ille poëticus cum in multis aliis locutionibus a poëtis novatis cernitur tum in eo, quod multis verbis, quæ proprie nisi de animantibus usurpari non solent, Plinius de rebus inanimis usus est, cujus rei nonnulla hic afferam exempla:

Neque enim minus inperspicua sunt judicum *ingenia* quam *tempestatum terrarumque* 1, 20, 17. Cfr. Pan. 25. Exquisita *ingenia cenarum* Pan. 49. Jam Sallustius et Livius ingenium posuerunt de rebus inanimis, posterioribus frequentatæ sunt ejusmodi locutiones. Usque ad *injuriam sterilitatis* exaruit (Aegyptus) Pan. 30. Propter *injuriam vetustatis* 10, 68 (73). Cfr. 2, 17, 16. (Similiter de rebus usi sunt illa voce Plin. maj. Tac. Suet. Just. Col.). (Versus) quandoque ut *errones* aliquem cujus dicantur invenient 2, 10, 3. (Hor. Ov. Tibull. nisi de animantibus vocabulo usi non videntur). Proprie de servis usurpatur. Tantus *pudor fascibus* Pan. 76. (Verg. Ecl. 7, 44 "pudorem" tribuit juvencis). *Obsidione* quadam *liberatus* agrestium *labor* Pan. 81. Sed ad tales locutiones jam Cicero transitum paraverat. Cfr. Cic. Rab. perd. 10, 29 "Obsidione rempublicam liberasset." Fam. 5, 6, 2. Ficta causa *res inermis* est 2, 3, 6. (Ov. Ib. 2. "Inerme carmen"). *Silentium cupidum* ulteriora audiendi 2, 10, 7. (Prop. 1, 8, 29. "Cupidus livor"). *Atrium frugi* nec tamen sordidum 2, 17, 4. (Quint. Mart.). Cfr. *Cena frugi* 3, 1, 9. Miserat etiam *epistulas jactantes* et gloriosas 3, 9, 13. Minor *rivus* et *pigrior* 4, 30, 9. *Piger Nilus* Pan. 30. (Cfr. Ov. Pont. 4, 10, 61. "Pigræ paludi"). Jam hora diei prima, et adhuc *dubius dies* 6, 20, 6. (Ov. dixit: "*Dubiam lucem*, *dubiam noctem*"). Ille me *doctissimo sermone* revocavit ad studia 7, 25, 3. (Tibull. 2, 3, 20 dixit: "*Docta carmina*." Cfr. Quint. 1, 1, 6). Te unicum auxilium *fessis rebus* adsumpsit Pan. 8. (Tac. Sil. Lucan. aliique sic dixerunt, postquam de rebus ab Ovid. Hor. Prop. frequentari vocabulum coeptum erat). In omnia pariter intenta *bonitas* et *accincta* Pan. 30. (i. e. parata, expedita). *Iratos fluctus* sequi Pan. 35. (Cfr. "*Iratum mare*." Hor. Epod. 2, 6). Nemo *attonitam orbitatem* ad computationem vocet Pan. 38. (Cfr. Verg. Aen. 6, 53. "*Attonitæ domus*").

Sed in illis exemplis fortasse minus perspicuus est color ille poëticus, de quo dixi, "*verborum*" autem in usu apertius cernitur, ut hæc exempla ostendent:

Primum enim verba, quæ "perceptionem" quandam vel "commotionem" animi significant, de rebus "inanimis" posuit, velut:

Triclinium tria maria *prospectat* 2, 17, 5. (Tibull. 1, 19, 75). Cfr. 5, 6, 19. Eadem significatione posuit: *Prospicit* 2, 17, 12. (Ov. Hor.). *Videt* 2, 17, 13. (Lucan.). *Aspicit* 5, 6, 21. (Col. Tac.). *Suspicit* 5, 6, 38. (Ov.). *Despicit* ibid. et 5, 6, 23. *Respicit* 2, 17, 5. *Intuetur* 2, 17, 6. 5, 6, 28. Maris *facie cenatio fruitur* 2, 17, 15. In illis epistolis 2, 17. 5, 6, quæ pæne poëmatia sunt metro soluta, multæ exstant locutiones poëticæ, quas longum est omnes enumerare.

Illa *(villa)* fluctus non *sentit* 9, 7, 4. Cfr. *Desidem Ægyptum cessantemque Nilum* non *sensisset* urbis *annona* Pan. 31. (Poët. Cfr. Liv. 9, 37, 1). *Fingendi* non habent tempus *(adclamationes)* Pan. 3. *Muta* quidem illa et *anima carentia*, *sentire* tamen et *lætari* videntur Pan. 50. *(Cælum) myrtos oleas*, *quæque alia* adsiduo tepore *lætantur*, *aspernatur* 5, 6, 4. (Col. Pallad.). *Discordantibus ventis* 8, 20, 6. Videres referta *tecta* ac *laborantia* Pan. 22. (Hor. Od. 1, 9, 3. "*Silvæ laborantes*"). Hoc *gratiarum actiones agant meminerintque* Pan. 53.

Deinde verba "dicendi" et quæ in eodem genere sunt conjungi solent cum "subjectis" rei, velut:

Ita *suadentibus annis* ab urbe secessit 3, 7, 6. (Lucr. Verg. al.). Cfr. 4, 9, 10. 4, 24, 3. 9, 36, 3. *Litteras*, quæ modo nomen domini *dicunt*, modo artificis 5, 6, 35. Cetera *liber explicabit* 5, 12 (13), 3. Te in urbe teneri *nuntiabant litteræ* 5, 21 (9), 1. *(Litteræ) pollicebantur* Ibid. Optime *reverentia pudor metus judicant* 7, 17, 8. Cum stridunt funes, *gubernacula gemunt*, tunc ille (gubernator) clarus 9, 26, 4. (Verg. Ov. al.).

Tum multo sæpius, quam apud veteres scriptores verba, quæ "motum" significant, de "rebus" ponuntur, velut:

(Triclinium satis pulchrum) in litus *excurrit* 2, 17, 5. 5, 6, 19. (Ov. Liv. 32, 23, 10). Eadem significatione dicitur: *(Cubiculum) exit* 5, 6, 38. Cfr. *Zotheca recedit* 2, 17, 21. al. (Verg. Ovid.). *Zothecula refugit* 5, 6, 38. (Verg. al.). *Processerat litus* 6, 20, 9. (Cels. Plin. maj.). *Miseni quod procurrit* 6, 20, 11. (Ov. Hor.). *Insula adsurgit* 6, 31, 16. (Verg.). Cfr. *Collis adsurgit* 8, 8, 2. *Consurgit (villa)* 5, 6, 14. (Verg.). *Area surrexerat* 6, 16, 14. (Ov. al.). *(Cubiculum)* est *subductum* omnibus ventis 2, 17, 10. (Non optimo jure in lexicis affirmatur illum usum Plinii solius proprium esse, nam ad illam loquendi consuetudinem jam Verg. transitum paraverat. Cfr. "Se *subducere colles* incipiunt." Verg. Ecl. 9, 7). Sed quod Liv. 32, 23, 10 dixit: "*Promuntorium* in altum *excurrens*", et 22, 4, 2: "*Colles insurgunt*", id documento est, jam Livii ætate ejusmodi locutiones

in solutam orationem immigrare coepisse. Nullius ad te *iracundia confugit* Pan. 43. *Dimovit perfregitque* custodias *poena* Pan. 49.

Illis exemplis addi possunt hæc:

Plurimum refert, quid esse *tribunatum* putes, inanem umbram et sine honore nomen, an potestatem sacrosanctam et quam *in ordinem cogi* a nullo deceat 1, 23, 1. Illa *(gula)* quasi *in ordinem redigenda est* 2, 6, 5. *Quod cessat ex reditu* frugalitate suppletur 2, 4, 3. *Epistulæ cessant* 3, 17, 1. *Cessante eo*, quod ante peragendum est 10, 39 (48), 3. (Sic sæpissime poëtæ Augusteæ ætatis et posteriores scriptores locuti sunt). Africo *mare inpulsum* est 2, 17, 5. (Verg. Georg. 4, 305 legitur: "*Impellere undas*"). *Venti quiescunt* 2, 17, 16. (Verg.). *Dies* cito *conditur* 9, 36, 4. Cfr. Pan. 80. *Sol nascitur conditurque* 2, 17, 13. (Verg. al.). Eadem fere significatione legitur: *Salvo* jam et *composito die* 2, 17, 2. "Componendi" verbum diversis modis apud Plinium sicut apud poëtas usurpatur, velut: Postquam *se composuit* 4, 11, 3. *Animum* vultumque *composui* 7, 1, 6. *Lites interquiescunt* 8, 21, 2. (Sen.).

Alia exempla poëtici coloris sunt:

Ferunt Xerxen, cum inmensum exercitum *oculis obisset*, inlacrimasse 3, 7, 13. Cfr. 8, 18, 9. (Verg. Aen. 10, 447. "*Obit visu*"). Sipunculi plures *miscent* jucundissimum *murmur* 5, 6, 23. *Oblectamus otium* temporis 4, 14, 2. (Cfr. Ov. Trist. 5, 12, 1). Similiter 1, 22, 6 dicitur: *Delectare otium*. *Rumpe* jam *moras* 5, 10 (11), 2. (Verg. Ov. al.). Pietas nostra *silentium rupit* Pan. 55. (Lucr. Verg. Ov. Hor.). Placeat *fossam* artius *pressam* mari æquare 10, 61 (69), 4, Plinius dixit, quemadmodum Vergil. Aen. 10, 296 dixit: "*Premere sulcum*." Cfr. Hirt. B. G. 8, 40. "*Depressis fossis*." Plura exempla afferam, ubi de singulis verbis a poëtis sumptis disputabo.

Supra indicavi, Plinium nonnumquam locutiones dedita opera quæsitas simplici orationi interposuisse, id quod his exemplis confirmare conabor:

Quo magis *intendam limam* tuam 1, 2, 5 (Mira inest in hac locutione translatio). Locutiones illæ *calculum ponere*, *calculum adjicere* apud Plinium et æquales usitatissimæ sunt. Tu fortasse errori nostro *album calculum adjeceris* 1, 2, 5. Hic quoque in condicionibus deligendis *ponendus est calculus* 1, 14, 9. Cfr. 2, 19, 9. Pan. 20. Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus *parem calculum* ponere non possum 5, 2, 1. Reliqua *pars lateris hujus* servorum libertorumque usibus *detinetur* 2, 17, 9. (Insolenter sane dictum est. Gierig conjecit "destinatur" vel "destinata"). Uterque *pari jugo (pari studio)* non pro se, sed pro causa niteretur 3, 9. 8. (Sen. ep.

18, 6 (109), 16). Si tot reos *uno* velut *fasce complecteremur* 3, 9, 9. Immobilis et extentus *fidem peractæ mortis implevit* 3, 14, 2. (*i. s. q. fidem fecit, se mortuum esse*). *Fecunditate uxoris large frui* voluit 4, 15, 3. Vineæ *unam faciem* longe lateque *contexunt* 5, 6, 9. Cujus interest *inexplicabili morbo* liberari 5, 21 (9), 2. (*int. insanabili*). Quantum quis plurimum postulat *aquæ (int. temporis ad causam dicendam) do* 6, 2, 7. Cfr. Quint. I. O. 11, 3, 52: "*Aquam perdere.*" Recta *gubernacula* in periculum *tenet* 6, 16, 10 dicitur pro eo, quod est "*cursum tenet*". Leges opus tersum molle jucundum et plane *in Propertii domo (i. e. genere scribendi)* scriptum 9, 22, 2. Quos scias indigere *orbe* quodam *socialitatis ambire* 9, 30, 3. Quamvis eidem talia *crimina applicarentur*, nihil decernendum putavi 10, 58 (66), 4. (Dig.). *Imploratus adoptione* et accitus Pan. 6. Electo successore *fato concessit (i. e. mortuus est)* Pan. 11. (Cfr. Sall. Jug. 14, 15. "*Naturæ concessit*"). *Danubius* duratus glacie ingentia *tergo* bella *transportat* Pan. 12. *Oculos* insolito *spectaculo impleret* Pan. 22. *Lacrimas* parentum *vectigales* esse non pateris Pan. 38. *Ibit in sæcula (i. e. apud posteros celebrabitur)* fuisse principem Pan. 55. (Sil.).

Plinium amantem fuisse "verborum gravium et plenum quiddam sonantium" ex multis locutionibus apparet, velut:

Admonebitur, quibus imaginibus *oneretur* 3, 3, 7. (Re aliqua *onerari* dicitur is, qui ob aliquam rem officia majora, quam quibus satisfacere se posse ipse speret, exspectantibus aliis subire quasi cogitur). Cfr. 1, 8, 5. 1, 14, 10. 8, 24, 8. Pan. 24. 73. Sed jam Cic. eadem fere significatione dixit: "Suscepisti onus grave" Off. 3, 2, 6. Cfr. Fam. 2, 16, 2. (Brevitatem) ego *custodiendam* esse (*i. e. sequendam*) confiteor 1, 20, 2. (Quint. Plin. maj. Suet. Col.). Similiter dicitur: Dignitas *custodiebatur* (*i. e. observabatur*, *servabatur*) 3, 20, 3. Cfr. 4, 10, 3. 8, 9, 2. 8, 10, 1. 9, 5, 3. Pan. 65. *Modum custodire* (*i. s. q. modum tenere*) 5, 7, 5. Expectabis *orationem* plenam *onustamque* 4, 9, 23. *Decuriones contrahentur* (*i. e. cogentur*, *congregabuntur*) 5, 7, 4. *Viri* optimi mihique amicissimi adeo *cohæsistis*, ut invicem vos obligari putetis 7, 7, 1. (Quint. Curt.). Ne *sermonibus* quidem malignis aut attendit aut *alitur* (*i. e. delectatur*) 7, 26, 2. Communem *culpam* hi in illos, illi in hos *regerere* posse confidunt 10, 19 (30), 2. (Usitatius est *culpam conferre*, *conjicere*, *vertere in aliquem*, sed jam Hor. dixit: "*Convicia regerere*" Sat. 1, 7, 29, et Quint. I. O. 11, 1, 22: "*Invidiam* in aliquem *regerere.*" Cfr. Tac. Hist. 3, 78). *Quieti* ejus *injeci manum* 10, 87 (19), 2. (Cfr. Cic. Rosc. Com. 16, 48. "Ipsa mihi *veritas manum injicit*)."

Sæpissime autem verbis frequentativis, quippe quæ pleniorem sonum in cadendo reddant, utitur, velut:

Adventare 7, 27, 8. Amplexari Pan. 69. Conjectare 3, 9, 26. Cursitare 6, 5, 5. Domitare Pan. 81. Emptitare 6, 19, 5. Fluitare 8, 8, 4. Imperitare Pan. 82. Noscitare 6, 20, 14. 9, 6, 2. al. Occursare 2, 3, 2. 5, 5, 7. al. Objectare Pan. 28. Pensitare 1, 8, 9. al. Percursare Pan. 12. Quassare 6, 20, 6. Reptare 1, 24, 4. 9, 26, 2. Respectare Pan. 23, quibus alia innumerabilia addi possunt.

Nonnulla verba vim suam mutasse videntur ob mutatas conditiones, quæ inter cives et principem civitatis intercedebant, postquam imperium uni delatum est, velut:

Quid de *pietate (int. erga Cæsarem*, qui pro parente patriæ habebatur) Modesti sentias quæro 1, 5, 6. 13. (Just.). Cfr. Civium *pietas* Pan. 24. al. Massa Senecionem *impietatis (i. e. majestatis)* reum postulat 7, 33, 7. (Tac.). Cfr. Nemini *impietas* objecta Pan. 33. Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium *privati* hominis impleret, cum principis noluisset 2, 1, 2. (*Privati* illa ætate dicebantur omnes, etiamsi munere fungebantur, præter principem et ejus familiam). (Tac. Suet.). Princeps autem *dominus* vocabatur. Cfr. 10, 2, 1. 10, 3 (20), 1. 10, 4 (3), 6. 10, 6 (22), 1. 10, 8 (24), 1. 6. al. (Suet. Mart. Phædr.). *Principatus* dicebatur imperium principis. Inter initia felicissimi *principatus* tui 10, 2, 2. Cfr. Pan. 36. 53. 56. 57. (Vell. Plin. maj. Tac. Suet.). *Principale* dicebatur, quod ad principem attinebat. Scias hanc esse beneficiorum *principalium* summam Pan. 36. Cfr. Pan. 50. 76. 79. 82. al. (Vell. Plin. maj. Tac. Suet.). *Imperare* idem est, quod *imperatorem esse*. Recusabas *imperare* Pan. 5. Vix opus est me commemorare vocabula, quæ sunt *procuratio* 7, 25, 2. 7, 31, 3, *procurator* 6, 31, 8. Pan. 36, apud Plinium, ut apud Tac. Suet. Quint. Sen. al. poni de notis illis magistratibus, qui rebus imperatorum præerant. Plinius eodem modo usus est verbo *procurandi* 3, 5, 17. (Dig.). *Rescripta* principum dicebantur: *Liber*. Pauci dies, et *liber* principis severus et tamen moderatus 5, 13 (14), 8. *Mandata*. Utebatur *mandatis* tuis 10, 110 (111), 1. *Epistulæ*. Adlegabat *epistulas* ejus (Domitiani) ad honorem suum pertinentes 10, 58 (66), 3. Cfr. 10, 65 (71), 3.

Propter reverentiam autem, quam adversus imperatorem adhibebant, libenter blandis utebantur verbis, cum de imperatore loquebantur, velut *desiderium* ponebant pro postulato. Consules *desiderium* universorum notum principi facerent 6, 19, 3. Cfr. Provinciarum *desideriis* Pan. 79. (Plin. maj. Quint. Tac. Suet.). Similiter: (Balineum) *indulgentia* tua restituere desiderant 10, 23 (34), 1. Crebro

verbis, quæ sunt *indulgentia*, *indulgere*, Plinius in epistolis ex Bithynia ad Trajanum missis usus est. *Indulgentia* tua hortatur me ut audeam tibi etiam pro amicis obligari 10, 4 (3), 1. Cfr. 10, 5 (4), 1. Si precibus meis ex consuetudine bonitatis tuæ *indulseris* 10, 11 (6), 1. Ago gratias, domine, quod civitatem Romanam Harpocrati *indulsisti* 10, 6 (22), 1. Cfr. 10, 8 (24), 2. 4. 10, 12 (7). 10, 70 (75), 1. 10, 90 (91), 2. 10, 108 (109), 2. Rogo ut Accium Suram prætura exornare *digneris* 10, 12 (7). Cfr. 10, 13 (8). 10, 47 (56), 3. 10, 56 (64), 1. al. (Cfr. Sueth. "Värdes", "Täcktes"). *Adnuas*, Cæsar, optantibus Pan. 78. Plerumque *adnuendi* vox usurpatur de diis.

Nonnumquam "substantiva abstracta", quibus variæ virtutes principis significantur, ponit pro imperatore appellando, tamquam si reverentia ductus nolit ipsum principem alloqui, velut:

Debebo ergo *indulgentiæ* tuæ et pietatis meæ celeritatem et status ordinationem 10, 8 (24), 6. Dignitati ad quam me provexit *indulgentia* tua 10, 13 (8). Non est simplicitatis meæ dissimulare apud *bonitatem* tuam 10, 8 (24), 5. Impetrandum a *bonitate* tua per nos habet quod illi fortunæ malignitas denegavit 10, 94 (95), 2. Hoc Gierig putat initium fuisse formularum, quæ postea in principe alloquendo in consuetudinem venirent, velut: *Vestra Serenitas*, *Mansuetudo*, *Celsitudo*, cet.

Quantam curam in oratione varianda posuerit, ne idem verbum sæpius positum aures offenderet, ex his locis intelligitur: Epp. 2, 17. 5, 6 ad *prospectum* ex aliquo loco significandum his verbis usus est: *Prospectare* 2, 17, 5. *Respicere* Ibid. *Intueri* 2, 17, 6. *Aspicere* 2 17, 11. 5. 6, 21. *Prospicere* 2, 17, 12. 5, 6, 14. 9, 7, 3. *Videre* 2, 17, 13. *Facie frui* 2, 17, 15. *Despicere* 5, 6, 23. 38. *Prospectum præbere* 5, 6, 30. *Suspicere* 5, 6, 38. Ad orationis a re proposita *digressionem* significandam dixit: Si aliquid *arcessit* atque *attrahit* 5, 6, 42. Non enim *excursus* hic ejus 5, 6, 43. Si nihil *inductum* et quasi *devium* loquimur 5, 6, 44. *Perpetuam* apud posteros *memoriam* his fere verbis expressit: Cujus *inmortalitati* Capito prospexit 1, 17, 4. Quibus *æternitas* debeatur 5, 8, 1. Me *diuturnitatis* amor sollicitat 5, 8, 2. Multum *perpetuitati* ejus scriptorum tuorum æternitas addet 6, 16, 2. Similiter eadem vi dixit: *Capere* voluptatem 3, 18, 4. *Percipere* voluptatem, *perfrui* voluptate 5, 10, (11), 3. *Frui* voluptate 5, 13 (14), 10. *Procurrere* ad mortem 1, 22, 10. *Decurrere* ad mortem 3, 7, 2. *Publicare* 1, 5, 2. al. *In publicum dare* 8, 3, 2. *Dare* in *manus hominum* 8, 19, 2. *Edere* 1, 20, 7. Sanguinem *rejecit*, sanguinem *reddidit* 5, 19, 6. Pretium *minuit* 6, 3, 1. Pretium

retro abiit 3, 19, 7. Ratum *servare* 7, 11, 1. Ratum *habere* Ibid. 6. *Phantasma* 7, 27, 1. *Idolon* 7, 27, 5. *Imago* 7, 27, 6. *Simulacrum* 7, 27, 7. *Effigies* 7, 27, 8. Cfr. 3, 5, 4. *Inerrare* oculis 7, 27, 6. *Oberrare* oculis 9, 13, 25.

Quemadmodum Cicero in epistolis, sic Plinius persæpe non solum universas sententias a græcis scriptoribus sumptas orationi inseruit, sed etiam singula verba græcis litteris scripta interposuit, ubi apta deerant verba latina, velut: *ληκύθους* 1, 2, 4. *ἀρχέτυπον* 1, 20, 9. *μικραίτιος* 2, 2, 1. *ἐνθυμήματα* 2, 3, 3. *ἕξιν* 2, 3, 4. *ἀφιλόκαλον* 2, 3, 8. *σεμνῶς* 2, 11, 17. *λειτούργιον* 2, 11, 23. 2, 12, 1. *φιλόκαλος* 3, 7, 7. *πρόδρομον* 4, 9, 23. *κατὰ κεφάλαιον* 6, 22, 2. *ἐπιστήσατε* 6, 31, 12. Hoc loco Trajanus græcum verbum arripuit, quamquam non deerat aptum verbum latinum.

Ad extremum commemorandum est, Plinium imprudentem admisisse versum heroum:

Una diligimus, una dileximus omnes 5, 14 (15), 4.

Et Phalæcium:

Commendas mihi Julium Nasonem 6, 9, 1, id quod ad illos locos Doering docuit.

Hæc habui, quæ in universum de oratione Plinii disputarem. Nunc quas significationes apud eum singula verba habeant, ostendam, atque a substantivis initium capiam.

Omnibus igitur notum est antiquis temporibus magna substantivorum penuria linguam latinam laborasse, quam ob rem sæpe necesse erat longo et molesto eloquendi circuitu unam notionem exprimere. Illos vero eloquendi circuitus in primis scriptores, qui post Augustum fuerunt, brevitatis causa evitare studebant, ob eamque rem multa substantiva maxime a verbis, quibus lingua abundabat, ducta novarunt, quam viam linguæ excolendæ jam Cicero ingressus erat et quasi muniverat. Quo in genere illi scriptores multum effecerunt ad copiam verborum augendam et linguam quodammodo perficiendam. Neque enim ego iis assentior, qui putant, linguam latinam aurea, quæ vocatur, ætate adeo ab omnibus partibus absolutam fuisse, ut nihil addendum esset aut amplificandum. Atque etiam si concedendum est illos scriptores in verbis novandis vel transferendis nonnumquam audaciores fuisse et sæpius aliena verba maxime a græca lingua assumpta vel locutiones ad Græcorum consuetudinem dicendi conformatas in linguam induxisse, plerumque tamen leges linguæ diligentissime servarunt, neque negandum est illos quoque de lingua excolenda bene meritos esse, etiamsi cum Cicerone aut Cæsare comparati longe postponendi sunt vel optimi argenteæ ætatis scriptores.

Sed illuc, unde aberravit oratio, revertar, ac primum, quæ nova fecit Plinius substantiva a verbis ducta, enumerabo, deinde quibus novas significationes imposuit, tum quæ ei cum æqualibus communia sunt, postremo quæ a poëtis superioribus assumpsit quæque apud Livium, Sallustium, alios, qui in eodem numero sunt, rarius inveniuntur.

Hæc fere substantiva a verbis ducta in *-us et -io* desinentia Plinius novasse videtur:

Abactus (ἀπ. εἰρ.). Cum *abactus* hospitum exerceret Pan. 20. Gesner interpretatur: "angariarum intemperantem exactionem." Gierig locum putat esse corruptum.

Prælusio. (Certaminis) quasi *prælusio* 6, 13, 6. Apud Ciceronem dicitur *prolusio*, quod nonnulli hic scribi volunt.

Renutus (ἀπ. εἰρ.). Simili nutu ac *renutu* respondere voto tuo possum 1, 7, 2. Hoc vocabulum eadem vi qua *recusatio* positum novasse videtur, ut aptum haberet verbum, quod "nutui" opponeret.

Servatio pro *observatione*, *observantia* dicitur. Quam perpetuam *servationem* meam quædam necessitas rupit 10, 120 (121), 1.

Duumviratus vocem a substantivo, quod est duumvir, ductam Plinius fecit. In duumviratu 4, 22, 1 (Dig.).

His novam vim imposuit:

Adnotatio. *Adnotationes* dixit explicationes in margine libri scriptas, quibus is, qui legit, indicabat, quid sibi placeret in libro, quid displiceret. Librum meum cum *adnotationibus* tuis expecto 7, 20, 2. (Alia vi subjecta vox exstat Quint. I. O. 10, 7, 31).

Descensio dicitur de *loco*, *quo descenditur*. In hac (caldaria cella) tres *descensiones* 5, 6, 26. (Solita vi legitur ap. Plin. maj.). In dubium tamen potest vocari, an jam ante vox in usu fuerit illa vi subjecta, cum *descensus* eandem vim habeat (Hirt. B. G. 8, 40. Verg. Aen. 6, 126), notum sit autem non solere omnes casus substantivorum verbalium, quæ vocantur, in *-us* desinentium conformari[1]), sed deficientes casus ab exeuntibus in *-io* assumi.

Dispensatio. Hanc vocem insolenter transtulit, quamquam facilis erat transitus, cum Livius 27, 50, 10 dixisset: "Dispensare lætitiam", tal. *Dispensationem* quandam mihi erga te pietatis suæ mandavit 10, 75 (79), 1. (Apud veteres scriptores proprie dicitur: "Dispensatio ærarii, annonæ, pecuniæ", tal.).

Egestio per translationem ponitur pro *effusione*. Publicarum opum *egestione* 8, 6, 7. (Ap. Suet. et Veget. propria significatione usurpatur).

[1]) Cfr. Nägelsbach, "Lateinische Stilistik", dritte Auflage, Pag. 151, sequ.

Doering affirmavit, etiam Plin. maj. eadem vi subjecta vocabulo usum esse, sed neque is locos attulit, neque ego reperire potui.

Excursio a veteribus scriptoribus usurpabatur in re militari, a Plinio de quovis itinere dicitur ejus, qui in aliquem locum evolat. An intentione rei familiaris obeundæ crebris *excursionibus* avocaris? 1, 3, 2. (Dig.).

Nutatio per translationem dicitur pro *ruina*, *eversione impendente*. *Nutatione* reipublicæ Pan. 5. (Propria vi subjecta usi sunt Plin. maj. Quint.).

Præsumptio apud Plinium significat i. q. *anticipatio*, *præceptio*. Rerum quas adsequi cupias *præsumptio* ipsa jucunda est 4, 15, 11. Bonæ famæ *præsumptione* perfruitur 9, 3, 1. Apud Quintilianum hoc vocabulum positum est pro *ante occupatione*, apud Senecam pro *opinatione* [1]). Similiter *præsumere*, quo non raro poëtæ priores usi sunt, dixit pro eo, quod est *anticipare*, *præcipere*. Percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere *præsumo* 2, 10, 6. Cfr. 3, 1, 11. 6, 10, 5. 8, 11, 1. Pan. 79.

Illorum vocabulorum nullum exstat apud veteres scriptores, nam Cic. Div. 2, 53, 108 nunc legitur "adsumptio" pro "præsumptione."

Motus per translationem dicitur pro *causa*, *ratione*. Audisti consilii mei *motus* 3, 4, 9. Quam vim habeat apud veteres scriptores omnibus notum est.

Præceptio apud Plinium significat jus partis ex hereditate ante ceteros heredes capiendæ. Pro quadrante *præceptionem* quadringentorum milium dedit 5, 7, 1. (Dig.). Apud veteres scriptores idem significat, quod *præceptum*, *prænotio*, *antecepta animo rei informatio*. Cfr. *Præcipere* 5, 7, 1. 10, 75 (79), 2. *Præceptis* quinquaginta milibus nummum. (Dig.).

Cum æqualibus multa ejusdem generis substantiva Plinio communia sunt:

Adlocutio pro *alloquio* dicitur. Vertit *adlocutionem* 2, 20, 8. (Quint. Suet.). Apud Catull. 38, 5 de "sermone consolatorio" usurpatur.

Cenatio de *loco*, *ubi cenatur*. Modica *cenatio*, quæ plurimo sole lucet 2, 17, 10. 12. 15. 5, 6, 21. (Sen. Plin. maj. Suet. Col. Petr. Mart.).

Comperendinatio significat *judicii* in perendinum diem *dilationem*. (Leges) tot *comperendinationes* largiuntur 6, 2, 6. (Sen. Tac. Ascon.). 5, 9 (21), 1 ipse *comperendinationis dies* significatur. Apud Ciceronem exstat *comperendinatus*, quam ob causam verisimile est etiam illius ætate *comperendinationis* vocem in usu fuisse.

[1]) Cfr. Rosengren, "De Elocutione Senecæ", Pag. 38, Upsaliæ.

Computatio pro *ratione* dicitur. Inest huic *computationi* sumptus supellectilis 3, 19, 3. Cfr. Pan. 38. (Sen. Plin. maj. Quint. Front. al.).

Concussio pro *quassatione*. Faces ignem adsidua *concussione* custodiunt 4, 9, 11. (Sen. Col.).

Consummatio pro *perfectione*, *absolutione*. Initium novæ liberalitatis esset *consummatio* prioris 5, 11 (12), 1. (Sen. Quint. Col.). Similiter *consummatus* dicitur pro *perfecto*, *absoluto*. Amavi *consummatissimum* juvenem 2, 7, 6. (Plin. maj. Quint. Sen. Col.). *Consummandi* verbo Livius non raro utitur et Ovidius, sed propria potissimum significatione.

Dedignatio. Hæc vox rarissima uno loco apud Plinium legitur. *Dedignatione* parendi Pan. 18. (Quint. I. O. 1, 2, 31).

Exsecutio idem significat, quod *explicatio*. Quæ *exsecutio* prioribus aliquid addentium (sententiarum) 8, 14, 6. (Sen. Quint.).

Indictio dicebatur *edictum* imperatoris, quo ad arbitrium suum tributa extraordinaria imposuit et exegit. Novis *indictionibus* pressi ad vetera tributa deficiunt Pan. 29. (Ascon. Dig.).

Inundatio pro *eluvione*, *eluvie* dicitur. *Inundatione* regio fraudata Pan. 30. (Plin. maj. Col. Suet.).

Quiritatus pro *quiritatione*, qua voce Livius usus est, *lamentatione*, *vagitu*. Audires infantium *quiritatus* 6, 20, 14. (Val. Max.).

Repercussus. Teporem solis infusi *repercussu* cryptoporticus auget 2, 17, 17. *Repercussus* maris servabit et reprimet, quidquid e lacu veniet 10, 61 (69), 4. (Plin. maj. Tac. Flor.).

Reputatio pro *cogitatione*, *consideratione* dicitur. Hebetabat misera sed vera *reputatio* Pan. 70. (Plin. maj. Tac.).

Illorum substantivorum nullum videtur veteribus usitatum fuisse scriptoribus.

His verbis etiam superiores scriptores, sed aliis significationibus, quam Plinius, usi sunt:

Actus apud veteres scriptores plerumque usurpatur in re scenica et in locutionibus a scena petitis, sed apud argenteæ ætatis scriptores ponitur de quibusvis pæne negotiis. Me rerum *actus* distringit 9, 25, 3. (Quint. Suet.). Vim effectumque censuræ tui *actus* obtinebunt Pan. 45. (Lucan. Val. Flacc.). (Cic. Legg. 1, 11, 31 nunc legitur pro "pravis actibus" "pravitatibus").

Admissio dicitur venia aditum petentibus a principe sui conveniendi data. *Admissionum* tuarum facilitatem Pan. 47. (Plin. maj. Sen. Suet. al.).

Advocatio apud optimos scriptores dicitur de officio ejus, qui

consiliis et auctoritate adjuvat eum, cui causa dicenda est; apud Plinium et æquales idem fere significat, quod *patrocinium*. Ego et Tacitus injuncta *advocatione* diligenter functi essemus 2, 11, 19. Cfr. 3, 4, 7. 5, 9 (21), 4. 5, 13 (14), 2. 5. 6. 6, 18, 1.

Similiter *advocatus* dicitur *causæ patronus*. Dixit heredum *advocatus* 4, 12, 4. Cfr. 1, 23, 4. 3, 4, 2. 3, 9, 21. 4, 9, 7. 4, 11, 12. 5, 4, 2. 5, 20, 1. 6, 31, 11. 7, 33, 4. 10, 81 (85), 6. (Quint. Tac. Suet.) Per translationem Plinius dixit: *superbissimæ abstinentiæ* Cæsar ipse *advocatus* esset 8, 6, 9.

Adfectus, *Adfectio*. Hæc vocabula apud veteres scriptores significant habitum quendam animi, apud Plinium et æquales ponuntur pro *amore*, *benevolentia*, *studio*. Mihi *adfectum* parentis exhibuit 2, 1, 8. Cfr. 4, 19, 1. 8, 11, 1. 10, 4 (3), 6. De *perturbatione animi* 9, 13, 16. Optimarum feminarum perferre modestissimum *adfectum*. Cfr. Pan. 79. (Sic omnes fere scriptores argenteæ, quæ vocatur, ætatis locuti sunt).

Ambitus apud veteres scriptores non ponebatur nisi in petitione honorum, cum candidati largitionibus aliisve artibus malis non legitime suffragia captarent, apud Plinium et æquales idem significat, quod *ambitio*. Caret *ambitu* 3, 2, 4. (Sen. Quint.).

Confusio pro *perturbatione animi* dicitur. Erit *confusioni* meæ solacium 1, 22, 12. Pan. 86. (Vell. Petr. Quint. Tac.).

Destinatio pro *designatione*, *electione*. Tantum ex renuntiatione eorum (consulum) voluptatis quantum prius ex *destinatione* capiebat Pan. 77. Cfr. Pan. 95. *Destinationem* consulatus mei. (Tac. Hist. 1, 77). Apud Livium et Plinium majorem idem significat, quod *consilium*, *voluntas*, *propositum*, *inductio animi*.

Dignatio, quæ vox apud Cic. Att. 10, 9, 2, post Livium autem sæpius usurpatur pro *dignitate*, apud Plinium aliosque nonnullos ejusdem ætatis scriptores ponitur pro *reverentia*, *honore*. Quam *dignationem* sapientiæ doctoribus habes Pan. 47. (Suet. Just. Curt.).

Editio de libri edendi actu dicitur. Confitebor et ipsum me et contubernales ab *editione* non abhorrere 1, 2, 5. 1, 8, 4. 17. 2, 10, 6. 3, 15, 1. 9, 1, 3. (Quint.). (De vocabuli apud veteres scriptores usu cfr. Lex.).

Excessus apud veteres scriptores significare solet idem fere, quod *mors*, *obitus*, apud Plinium vero ponitur de *degressione* a re tractanda, quam Græci παρέκβασιν vocant. Quid audentius illo pulcherrimo ac longissimo *excessu* 9, 26, 9. (Quint. Tac.). Cfr. 5, 6, 44. In quod *excessi*. Liv. 29, 29, 5. "*Excedere* paulum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit (Masinissa)."

Excursus, qua voce veteres usi sunt in re militari, apud Plinium et Quintilianum idem significat, quod vocabulum proxime antecedens. Non *excursus* hic ejus, sed opus ipsum est 5, 6, 43. Propria significatione dicitur 4, 30, 8. Est aliquid, quod hujus fontis *excursum* repercutiat.

Exhortatio pro *cohortatione*, quod usitatius est, dicitur. Adulescentiam meam *exhortationibus* foverit 1, 14, 1. 3, 7, 15. Pan. 66. (Col. Quint. Tac. Just.). Ex superioribus scriptoribus Planc. Cic. Fam. 10, 7, 1 usus est, præter eum vero, quantum scio, nemo.

Introitus contra consuetudinem optimorum scriptorum dicitur de *initio* s. *aditu*, ut ita dicam, *magistratus*. Ea pecunia quam buleutæ obtulerunt ob *introitum* 10, 39 (48), 5. 10, 112 (113), 3. (Suet.).

Persuasio apud veteres scriptores activam, ut ita dicam, vim habet, argentea vero ætate ponitur pro *opinione*, *sententia*. Quæ *persuasio* fuit illorum, qui hostilia cum facerent timebant Pan. 18. Cfr. Pan. 63. (Plin. maj. Sen. Quint. Suet.).

Probatio pro *argumento*, *argumentatione* dicitur. Adfirmavit se novas *probationes* invenisse 7, 6, 10. Cfr. 3, 9, 19. 6, 31, 5. In tertium diem *probationes* exierunt 2, 11, 18. Cfr. 4, 9, 15. (Plin. maj. Quint. Just. Sen.).

Proconsulatus non ante argenteam ætatem dici coeptum est *munus proconsulis*. Summotum a *proconsulatu* 2, 12, 4. 3, 4, 2. 3, 7, 3. 3, 9, 2. (Plin. maj. Tac.).

Proventus apud optimos solutæ orationis scriptores idem fere significat, quod *prosperus eventus;* proprie autem dicitur de frugibus, deinde Plinius et æquales transtulerunt ad homines et posuerunt fere pro *multitudine*. Magnum *proventum* poëtarum annus hic tulit 1, 13, 1. (Just. Plin. maj. Quint. al.).

Ratio constat, quæ locutio proprie usurpatur de acceptis et expensis, argentea ætate transfertur ad omnia fere, quæ æque recteque se habent, consilia factaque. Et temptandi aliquid et quiescendi illo auctore *ratio constabit* 1, 5, 16. Cfr. 1, 9, 1. 2, 4, 4. 3, 18, 10. 7, 6, 4. 9, 2, 5. 10, 3 (20), 3. Pan. 38. (Just. Tac.).

Refectio pro *remissione*, *relaxatione* dicitur. Instar *refectionis* existimas mutationem laboris Pan. 81. Cfr. Pan. 15. (Cels. Plin. maj. Quint.). Ante argenteam ætatem propria significatione voce usus est Vitruvius.

Statio. Stationes dicebantur loci publici, quo homines confabulandi causa conveniebant (Græci dicebant λέσχας). Plerique in *stationibus* sedent tempusque audiendis fabulis conterunt 1, 13, 2. 2, 9, 5.

(Suet. Juv. Dig.). Ad hanc vero significationem quasi transitum paravisse videntur Cic. Att. 6, 9, 4. "In arce Athenis *statio* mea nunc placet." Verg. Aen. 5, 128, al.

Transitus pro *transitione*, ut dixit Auct. Her. 1, 9, 14. 4, 26, 35, in oratione dicitur. Utinam ordo saltem et *transitus* et figuræ simul spectarentur 3, 13, 3. Cfr. 3, 9, 12. (Quint.).

Nonnullas voces et vocum significationes, quæ aut apud solos poëtas inveniuntur aut rariores sunt apud scriptores solutæ orationis, qui ante argenteam, quæ vocatur, ætatem fuerunt, non putavi alienum afferre. Cum vero ejus generis voces apud Plinium permultæ sint, necesse fuit judicio quodam in iis afferendis uti modumque tenere, quod num semper mihi contigerit, alii judicent.

Substantiva a verbis ducta in *us-et-io* exeuntia, quæ nonnullis locis apud superiores scriptores iisdem significationibus quibus apud Plinium inveniuntur, hæc fere annotanda putavi:

Adclamatio de iis dicitur, qui clamore orationem dicentis laudant. In dicendo adsentationem vulgi *adclamationemque* defugerim 1, 8, 17. Cfr. Pan. 3. 71. 73. Post Livium sic locuti sunt permulti argenteæ ætatis scriptores.

Adflatus. Propria significatione post Ovidium et Livium hoc vocabulo sæpissime usi sunt argenteæ ætatis scriptores. *Adflatum* ex Apennini vallibus 5, 6, 29. Cicero per transl. sæpe posuit.

Auctus. Statis *auctibus* crescit decrescitque (fons) 4, 30, 2. (Varr. Lucr. Liv. posteriores [1]).

Conventio pro *convento* raro apud Sallustium [2]) et Livium invenitur, sæpius apud scriptores argenteæ ætatis. Eandem (portionem) tacita *conventione* salvam mihi pollicebatur 5, 1, 2.

Discursus. Quo *discursu* ædilitatem petiit! 8, 23, 5. Cfr. 1, 9, 7. (Juv. Quint.). Dicentis *discursus* 2, 19, 2. Nubes ignei spiritus tortis vibratisque *discursibus* rupta 6, 20, 9. (Hirt. Ov. Liv.).

Electio. *Electionem dare*, *permittere*, *offerre* pro eo, quod est apud optimos scriptores *optionem dare*, *facere*, Plinius et æquales aliquot dixerunt, Livium fortasse secuti, qui "Electionem ferre" 34, 19, 3, "Relinquere electionem" 38, 8, 5 dixit. Si tamen detur *electio* 1, 20, 22. (Vell. Sen.). *Electionem* auditoribus *permittit* 2, 3, 2. *Electionem* loci mihi *obtulerant* 10, 8 (24), 2, Eadem vi dicitur 2, 6, 2 *potestas eligendi*.

---

[1]) Præteriens moneo, non solum apud Liv. 29, 27, 3, ut contendit Krebs, sed etiam Liv. 4, 2, 2 exstare hanc vocem.

[2]) Sall. "Hist. inc." 58.

Exortus pro *ortu* dicitur. Parva et exilia (sidera) validiorum *exortus* obscuret Pan. 19. (Varr. Auct. Her. Liv. 21, 30, 4, ed. Madvig.).

Exultatio. Quod gaudium *exultationemque* deprehenderes Pan. 68. (Liv. 7, 10, 8. Auct. B. Afr. Plin. maj. Col. Quint. Sen., quibus addendus est locus in plerisque lexicis omissus, Cic. Har. 18, 39.).

Insectatio per translationem dicitur. Non ut flagitii tibi conscius ab *insectatione* ejus averteres famam Pan. 28. (Liv. Quint. Tac. Suet.).

Intentio. Hac voce Plinius frequentissime usus est non solum pro *cura*, *studio*, An *intentione* rei familiaris obeundæ crebris excursionibus avocaris? 1, 3, 2. Cfr. 2, 5, 2. 2, 10, 5. 3, 5, 17. 4, 7, 3, et pro *attento animo*, Si auditorum *intentio* relanguescit 2, 19, 4. Cfr. 3, 9, 9. 4, 5, 2. 4, 9, 11. 9, 18, 1, al., ad quas significationes jam Cic. Inv. 2, 14, 46 et Liv. 4, 17, 4 transitum paraverant, sed etiam pro *consilio*, Cum intentionem effectumque muneris nostri vellemus intelligi 1, 8, 13. Hæc nempe *intentio* tua, ut libertatem revoces ac reducas Pan. 78; quamquam etiam his locis pro *cura*, *studio* accipi possit. (Cfr. Cic. Inv. 2, 43, 125).

Lusus, qua voce Cicero nusquam usus est, apud Plinium et æquales aliquot (Col. Quint. Suet.), præeuntibus Livio et Ovidio, ponitur et pro *ludo*, *lusione*. Nec ipse meorum *lusibus* nec illi studiis meis obstrepunt 2, 17, 24. Cfr. 7, 24, 5. 8, 21, 2, et de carminibus, ubi opponitur "seriis", poëtarum more. *Lusus* vocantur 7, 9, 10. Cfr. 4, 14, 1. 5, 3, 4.

Nisus et proprie dicitur, (Naves) contrario nisu tendentes 8, 8, 3, ut apud Verg. et Sall. (Cfr. Cic. Nat. Deor. 2, 46, 117, ubi alii scribi volunt "nixu"), et per translationem ut apud Quint. ponitur. Quo *nisu* ... expostulatum est Pan. 75.

Objectus propria quadam vi subjecta de situ locorum, ut apud Verg. Tac. Just. Triclinii *objectu* 2, 17, 7.

Occursus pro *occursatione*, *obviam itione*. Reverearis *occursum*, non reformides 1, 10, 7. (Ovid. Liv. post.).

Ordinatio. Excepto Vitruvio, hoc vocabulum apud veteres scriptores in usu fuisse non videtur, sed argentea ætate coeptum est frequentari pro *institutione*, *dispositione*, *ordine*. Cum certius de vitæ nostræ *ordinatione* aliquid audieris 9, 28, 4. 10, 8 (24), 6. De rerum in civitate statu ordinando 8, 24, 7. 8. *Ordinatio* comitiorum Pan. 72. (Vell. Col. Suet.).

Potus pro *potione* raro dicitur. Ut nihil in cibo, in *potu* voluptatibus tribuat 3, 11, 6.[1]).

[1]) Cfr. Krebs. Antibarb. s. v. *potio*.

Profectus. Hæc vox satis frequenter apud poëtas et scriptores, qui post Augustum fuerunt, invenitur pro *progressu*, *processu*, sed apud meliores solutæ orationis scriptores, si usquam invenitur[1]), saltem rarissima est. Apud Plin. legitur. Pertinet ad *profectum* tuum a disertissimo viro discere, quid laudandum, quid reprehendendum 8, 13, 1. Quod vero Forcellini dixit, lexicographos ex epistolis Plinii attulisse locutionem *profectum facere*, non tamen allato loco, lexicographos credo errasse. Nam præterquam loco illo laudato, nisi fallor, nusquam in scriptis Plinii exstat vocabulum *profectus*. (Ov. Vell. Sen. Quint. Suet.).

Profusio præterquam apud Vitruvium non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse pro *effusione*. Ne nimia *profusione* inarescat (liberalitas) 2, 4, 4. (Suet.).

Recursus. Precatus est abeunti celerem *recursum* Pan. 86. (Verg. Ov. Liv. post.).

Secessus de eo, qui in otio vivit, dicitur. Quin ipse te in alto isto pinguique *secessu* studiis adseris? 1, 3, 3. 1, 13, 6. 2, 1, 8. 2, 8, 1. 2, 13, 5. 3, 5, 14. 3, 15, 1. 6, 4, 2. 6, 10, 1. 6, 31, 2. 7, 9, 1. 9, 10, 2. 9, 13, 3. Pan. 49. 83. (Verg. Ov. post.).

Veneratio apud veteres scriptores plerumque usurpatur de diis (cfr. tamen Cic. Nat. Deor. 1, 17, 45: "Habet *venerationem* justam quidquid excellit"), sed apud scriptores, qui post Augustum fuerunt, omnino ponitur pro *reverentia*, *honore*. Illi plurimum *venerationis* adquirunt 1, 10, 6. Cfr. 2, 1, 4. 2, 14, 3. 8, 24, 6. Pan. 10. 13. 54. 93. (Curt. Plin. maj. Tac.).

Ultio, qua voce primus Livius usus esse videtur, apud posteriores scriptores frequentissime exstat. Non sine *ultionis* solacio decessit 3, 14, 4. 6, 22, 7. 6, 31, 5. Pan. 35. 36. 52. (Sen. Quint. Just. Tac. Suet. Juv. Petron. Liv. 7, 30, 14. 31, 24, 1.).

Substantiva abstracta in *tas-tudo-ia* exeuntia ab adjectivis ducta hæc Plinius ipse novavit:

Socialitas (ἀπ. εἰρ.) fere pro *comitate* ponitur. Quos præcipue scias indigere orbe quodam *socialitatis* ambire 9, 30, 3. Pan. 49.

[1]) Apud Livium hunc usum vocis exstare, indicavit Opitz, "Quæstiones Plinianæ", Pag. 20, Naumburg 1861. Progr. Ego vero nullum memini locum Livii præter 1, 15, 7, ubi nunc legitur in editione Madvigii *profecto* pro *profectu*. Cfr. Nägelsbach, "Lat. Stil." Pag. 154.

Sinisteritas (*ἀπ. εἰρ.*) de *stultitia*, *rusticitate*. Quæ *sinisteritas* in hoc totum diem inpendere, ut offendas 6, 17, 3. 9, 5, 2.

His novam vim imposuit:

Audentia. Hanc vocem veteribus inusitatam, qua propria significatione usi sunt Tac. et Quint., Plinius ita transtulit, ut poneret de oratoris *in dicendo audacia*. Cur tibi similis *audentia* (atque Homero) non detur? 8, 4, 4.

Instantia et pro *studio*, *assiduitate*, Quid est quod hæc *instantia* non possit efficere? 3, 5, 18. (Gell.), et pro *vi*, *vehementia orationis* dicitur. Hæc (oratio) vel maxime vi amaritudine *instantia* placet 5, 8, 10. Quod plerique lexicographi omiserunt, moneo alia significatione apud Ciceronem Fat. 12, 27 legi: Præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit *instantia*.

Latitudo. Hæc vox, quæ apud veteres scriptores aut propriam vim habet aut de lata litterarum appellatione ponitur, apud Plinium contra significat *copiam*, *amplitudinem orationis*. Platonicam illam *latitudinem* effingit 1, 10, 5.

Hæc Plinio cum æqualibus communia sunt:

Austeritas per translationem pro *severitate* ponitur. A te hanc *austeritatem* exigo 2, 5, 5. (Quint.).

Captivitas pro *servitute* non exstat aurea ætate, postquam correctus est locus ille Cic. Or. p. Corn. de majestate, fragm. Ed. Klotz, Pag. 211. Hic regnum ipsum, quæque alia *captivitas* gignit, arcet ac summovet Pan. 55. (Sen. Petr. Tac. Just. Flor.).

Congruentia pro *convenientia* dicitur. *Congruentiam* æqualitatemque (statuæ) deprehendere 2, 5, 11. (Græci dicunt *συμμετρίαν*). (Suet. Otho 2 dixit: "*Congruentiam* morum").

Devexitas pro *proclivitate* rarissime dicitur. Non loci *devexitate* inpellitur 8, 8, 3. (Plin. maj.).

Diversitas pro *dissimilitudine*, *discrepantia*, *distantia*. Ætatis *diversitas* 1, 19, 1. Dubitat *diversitate* rationum 1, 22, 3. Cfr. 5, 3, 1. 6, 27, 3. 6, 33, 5. 7, 30, 5. 8, 14, 12. 9, 7, 3. 9, 11, 2. Pan. 2. 25. 35. 59. (Plin. maj. Quint. Tac. Suet. al.).

Emacitas vox rarissima nimiam emendi cupiditatem significat. Erat *φιλόκαλος* usque ad *emacitatis* reprehensionem 3, 7, 7. (Col.).

Jactantia pro *jactatione*, *ostentatione*. Communibus magis commodis quam privatæ *jactantiæ* studebamus 1, 8, 13. Pan. 38. (Quint. Tac. Suet.).

Inreverentia dicitur pro *contemptione*. *Inreverentia* studiorum 6, 2, 5. (Tac.). (Boetticher Lex. Tac. soli Tacito hujus vocis usum injuria tribuit).

Obliquitas pro *curvatura*, *curvamine* apud utrumque Plinium dicitur. Nullus sinus, *obliquitas* nulla 8, 20, 4.

Sinceritas apud Plinium et æquales aliquot ponitur fere pro *ingenuitate*, *integritate*. Vix unum aut alterum invenies tanta *sinceritate*, tanta veritate 3, 11, 6.

Sublimitas de *granditate orationis* dicitur. Platonicam illam *sublimitatem* effingit 1, 10, 5. Cfr. 1, 16, 4. 4, 20, 3. (Quint.).

Vivacitas de *spatio vitæ*. Tam angustis terminis tantæ multitudinis *vivacitas* ipsa concluditur 3, 7, 13. (Plin. maj. Col. Val. Max.).

Illorum vocabulorum nullum videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse.

Hæc vero etiam apud superiores scriptores, sed aliis significationibus quam apud Plinium usurpantur:

Amaritudo per translationem ponitur fere pro *bile*, *dicacitate*. Quantum illis (versibus) *amaritudinis* 1, 16, 5. Ingenio vim et *amaritudinem* dolor addidit 4, 20, 3. Cfr. 4, 11, 2. 5, 8, 10. 6, 8, 8. 6, 21, 5. 7, 33, 7. (Plin. maj. Quint. Val. Max.). (Apud Varronem propriam significationem habet).

Amoenitas apud veteres scriptores dicebatur de locis, regionibus, aliis ejusmodi rebus, apud Plinium per transl. ponitur de jucundis in oratione digressionibus. Itinere decedere non intempestivis *amoenitatibus* admonebamur 1, 2, 4. Animadvertendum est tamen perpetuam orationis esse translationem. (Tac. Cfr. Liv. 4, 44, 11).

Clementia de *lenitate* et *tranquillitate tempestatis* fere pro *temperatione* dicitur. Aestatis mira *clementia* 5, 6, 5. (Col. Tac. Lucan. Flor.). (Apud veteres scriptores semper translatam vim habet).

Felicitas pro *fecunditate*. *Felicitas* terræ 3, 19, 6. (Plin. maj.). (Veteres scriptores semper per translationem usi sunt voce).

Garrulitas, qua voce Ovidius de avibus usus est, apud Plinium ponitur de *loquacitate* hominum. Ea *garrulitate*, qua sermones in vehiculis seruntur 9, 10, 2. (Plin. maj. Quint. Suet.).

Infantia apud veteres scriptores significat *inscitiam dicendi*, apud Plinium et æquales primam *infantis ætatem*, qua nondum fari coepit. Statim ab *infantia* natale solum amare consuescant 4, 13, 9. Pan. 26. (Quint. Tac. Flor. Juv.).

Proprietas. Apud veteres scriptores hæc vox significat qualitates, quibus res inter se differant, apud Plinium ponitur de *verborum cum re convenientia.* Quo genere exercitationis *proprietas* splendorque verborum paratur 7, 9, 2. (Quint.).

Rusticitas apud Ovidium ponitur ad naturam hominis inculti et inurbani denotandam, apud Plinium utrumque usurpatur ad simplicitatem morum et integritatem significandam. Multum frugalitatis atque etiam *rusticitatis* antiquæ retinet 1, 14, 4.

Velocitas de *celeritate orationis* dicitur. Verum huic ipsi Pericli nec illa *πειθώ* nec illud *ἐκήλει* brevitate vel *velocitate* vel utraque sine facultate summa contigisset 1, 20, 18. (Quint.).

Vilitas apud veteres scriptores non usurpatur nisi propria significatione de parvo pretio rei, sed apud Plinium per translationem ponitur fere pro *contemptione.* Video multos misera simul et ingrata imagine industriæ ad *vilitatem* sui pervenire 9, 3, 2. (Sen. Curt.).

Addendum est fortasse *loquentiæ* vocabulum, quod, postquam emendatus est locus ille Sall. Cat. 5, 4, non videtur ante argenteam ætatem exstare; apud Plinium invenitur 5, 20, 5, ubi Julius Candidus usus esse narratur. Julius Candidus non invenuste solet dicere aliud esse eloquentiam aliud *loquentiam.* Hoc loco idem fere est, quod *loquacitas.* (Val. Prob. ap. Gell. 1, 15, 18).

Hæc fere substantiva abstracta *in-tas-tudo-ia* exeuntia ab adjectivis ducta etiam apud superiores scriptores iisdem significationibus, quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Desuetudo, vox rarissima, præeuntibus Livio et Ovidio, apud Plinium exstat. Post longam *desuetudinem* 7, 4, 5.

Ignorantia pro *ignoratione*, *inscientia* uno loco usus est Cicero (Acad. post. 1, 11, 42. Contra Cic. Am. 19, 70 nunc legitur: "Propter ignorationem stirpis"), uno loco Cæsar (B. C. 3, 68: "Ignorantia loci"), uno Sallustius (H. 3, 61, 25), nonnullis locis Nepos et Ovidius. Apud posteriores demum scriptores vox coepta est frequentari. Priorum temporum servitus juris senatorii oblivionem quandam et *ignorantiam* induxit 8, 14, 2. 10, 6 (22), 2. 10, 45 (54). 10, 96 (97), 1. (Quint. Tac. Suet. Galb. 20. Sen. Ben. 7, 23, 3, al.).

Malignitas, præeunte Livio, usitatissima vox est apud scriptores fere omnes, qui post Augusti ætatem fuerunt, pro *malevolentia.* Epistula *malignitati* interpretantium exponitur 5, 7, 6. 9, 5, 2. 10, 94 (95), 2. Similiter *malignus* adjectivum poëtarum more ponitur et pro *malevolo; Malignum* est, non admirari hominem admiratione dignissimum 1, 16, 9. Cfr. 7, 24, 3. 7, 26, 2; et pro *sterili*, *infecundo.* Quarum arborum illa ferax terra est, *malignior* ceteris 2, 17, 15. Cfr. Pan. 31.

Atque adverbium, quod est *maligne*, ut sæpe apud Ovidium et Livium exstat. Respondi nunc me intellegere *maligne* dictum 1, 5, 12. Cfr. 9, 38.

Magnanimitas pro *magnitudine animi* apud Ciceronem uno loco exstat (Off. 1, 43, 152). Præterea nusquam videtur inveniri apud aureæ ætatis scriptores. Tuam vero *magnanimitatem* an modestiam an benignitatem prius mirer? Pan. 58. (Sen.).

Patientia fere pro *lentitudine* dicitur de eo, qui facile indignas res tolerat, ad quam significationem Livius (1, 50, 4) transitum paravit. Maritum non sine aliqua reprehensione *patientiæ* amor uxoris retardabat 6, 31, 5. Cfr. Pan. 22. (Tac.). Eodem modo positum est adverbium *patienter.* Inconsultius uxor adsumpta aut retenta *patientius* Pan. 83.

Poenitentia, præeunte Livio, sæpe usi sunt scriptores argenteæ ætatis. Subitæ largitionis comitem pænitentiam caveremus 1, 8, 8. 1, 24, 4. 7, 1, 3. 7, 10, 3. 9, 21, 1. 10, 96 (97), 2. 10.

Quantitas. Excepto Vitruvio, veteribus scriptoribus inusitata vox idem significat, quod *copia*, *multitudo.* A qualibet *quantitate* vicesimam inferre cogetur Pan. 39. (Plin. maj. Quint. Dig.).

Reverentia apud poëtas (Ov. Prop.) et scriptores, qui post Augustum fuerunt, crebro invenitur; ex solutæ orationis scriptoribus, qui aureæ ætati annumerantur, apud Ciceronem solum exstare videtur (Off. 1, 28, 99. "Adhibenda est quædam reverentia adversus homines"). Nemo fortasse frequentius hac voce usus est quam Plinius, qui cum verbis *habendi*, *præstandi* conjunxit pro eo, quod est apud Ciceronem *adhibere.* Refractis pudoris et *reverentiæ* claustris 2, 14, 4. 4, 28, 2. 6, 31, 9. 7, 11, 3. 7, 24, 5. 8, 24, 6. Pan. 8. 19. 60. Mihi ab illo *reverentia* ut æquali *habebatur* 4, 17, 6. Quam illa *reverentiam* marito suo *præstitit* 8, 5, 1. 3, 8, 1. 10, 26 (11), 1.

Simplicitas, præeuntibus Ovidio et Livio, vox usitatissima est scriptoribus posterioribus, translata significatione pro *ingenuitate*, *veritate* posita. Mihi æque jucunda erit *simplicitas* dissentientis quam conprobantis auctoritas 3, 4, 9. 3, 10, 5. 4, 14, 10. 6, 12, 5. 6, 26, 1. 6, 31, 14. 7, 15, 3. 7, 20, 2. 10, 8 (24), 5. Pan. 4. 54. 84.

Sed non solum multa substantiva abstracta, quæ vocantur, argentea ætate facta sunt ad brevitatem orationis consequendam et circumlocutiones molestas evitandas, sed etiam magnam concretorum substantivorum, quæ dicuntur, copiam apud scriptores illius ætatis invenimus, quæ non apud veteres in usu essent. Illorum substantivorum, quorum pleraque a verbis ducta sunt et desinunt in-*tor-trix-sor*, Plinius hæc fere novasse videtur:

Adnotator. Sic Plinius dixit Domitianum, quia suspicax et insidiosus dicta facta, vultus etiam et gestus civium adnotabat. Non spectator *adnotatorque* convivis tuis immines Pan. 49. Etiam *spectator* hoc loco in malam partem dicitur fere pro *speculatore.*

Arcessitor. Hoc vocabulum fecit ad eum significandum, qui ad officium aliquod obeundum incommode aliquem advocat. Nulla necessitas togæ, nemo *arcessitor* ex proximo 5, 6, 45.

Commendator dicitur, qui aliquem commendat. Nisi illi fautor etiam *commendatorque* contingat 6, 23, 5. Forsitan tamen multo ante hæc vox in usu fuerit, cum Cicero commendatricis vocem habeat (Legg. 1, 22, 58): "Quoniam legem esse oportet commendatricem virtutum." Sic apud Plinium legitur: Miraculorum ferax *commendatrixque* terra 8, 20, 2.

Declarator (ἁπ. εἰρ.) significat eum, qui creatos magistratus renunciat. Ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo *declarator* existeres Pan. 92.

Hæsitator eandem fere vim habet, quam *cunctator.* Sum et ipse in edendo *hæsitator* 5, 10 (11), 2.

Reformator (ἁπ. εἰρ.) dicitur fere pro emendatore de eo, qui artes neglectas recolit et fovet. Ipsarum litterarum jam senescentium reductor ac *reformator* 8, 12, 1.

His substantivis ejusdem generis novam vim imposuit:

Frenator. Hoc vocabulum solus, ut videtur, Plinius per translationem posuit de eo, qui se ipse continet et moderatur, fere pro *temperatore.* Infinitæ potestatis domitor et *frenator* animus Pan. 55. (Stat. propria significatione posuit de equite: "*Frenator equorum.*" Val. Flacc. de eo, qui telum contorquet: "*Frenator conti*").

Gestator proprie idem fere significat, quod *gerulus*, *bajulus* (Mart.), sed apud Plinium ponitur de delphino, qui unum e pueris, quibuscum lusisse fertur, tergo transportabat. Incredibile delphinum *gestatorem* collusoremque puerorum in terram extrahi solitum 9, 33, 8.

Mensor jam apud Horatium et Ovidium ponitur pro *metatore*, *decempedatore*, sed apud Plinium significat eum, qui sumptus operum quorundam, velut ædificiorum computat ac pro modo et ratione operum, quantæ ad ea perficienda impensæ necessariæ sint, diligenter æstimat. Dispice, domine, an necessarium putes mittere huc *mensorem* 10, 17 (28), 5.

Reductor. Hanc vocem satis raram, quæ propria significatione exstat apud Livium, Plinius per translationem posuit fere pro *restitutore* de eo, qui artes recolit celebratque. Ipsarum litterarum jam senescentium *reductor* ac reformator 8, 12, 1.

Hæc substantiva ejusdem generis Plinio cum æqualibus communia sunt:

Consiliator pro *consiliario* dicitur. Ille (meus) in gerendis (honoribus) *consiliator* 4, 17, 6. (Phædr.).

Delator. Delatores imperatorum temporibus dicebantur *accusatores*, qui nomina reorum præcipue majestatis ad imperatores deferebant, quam rem sæpe quæstui habebant. Cum *delatori* locus non sit 2, 16, 3. 4, 9, 5. 6, 31, 3. Pan. 34. 35. 41. (Quint. Tac. Suet. Juv.). Similiter *delatio* dicitur ejusmodi accusatio Pan. 34. 45.

Firmator dicitur is, qui firmat aliquid. (Apud Senecam eadem vi dicitur: "*Stabilitor*", Ben. 4, 7, 1). Conditorem disciplinæ militaris firmatoremque 10, 29 (38), 1. (Tac.).

Formator proprie dicitur fere pro *fictore* de eo, qui ex materia quadam aliquid format, sed apud Plinium et æquales aliquot ponitur per translationem de eo, qui animum moresque alicujus conformat. Me *formatore* morum uteretur 8, 23, 2. (Quint. Col.).

Litigator eandem vim habet, quam apud veteres scriptores *reus*, qui litigat. Stant ante te *litigatores* non de fortunis suis, sed de tua existimatione solliciti Pan. 80. Cfr. Pan. 36. (Quint. Tac. Suet.).

Observator fere pro *speculatore* dicitur in malam partem, ita ut significet aliquem, qui malevolentia ductus consilia factaque alicujus cognoscere studeat. Nemo *observator*, nemo castigator adsistet Pan. 40. (Sen.).

Scalptor dicitur is, qui marmora scalpit. De pictore *scalptore* fictore nisi artifex judicare (non potest) 1, 10, 4. 3, 10. 6. (Vell. Plin. maj.). (Suspicandum est tamen jam multo ante hoc vocabulum pæne necessarium usu tritum fuisse, quamquam forte quadam non exstat in scriptis, quæ ad nostram ætatem permanserunt).

Illorum verborum nullum videtur apud veteres scriptores exstare.

Hæc etiam apud superiores scriptores inveniuntur, quamquam apud eos alias significationes quam apud Plinium et æquales habent:

Actor antiquis temporibus dicebatur, qui causas agendas vel negotia gerenda suscepit vel in scenam ad agendum prodiit, argentea vero ætate significat servum aut imperatoris aut privati hominis, cui diversarum rerum cura mandata erat. Non minus utile quam voluptuosum posse utraque (prædia) sub eodem procuratore ac pæne isdem *actoribus* habere 3, 19, 2. Hoc loco significari videntur ii, quibus, ut pecunias a colonis exigerent, mandatum erat. Agrum *actori* publico mancipavi 7, 18, 2. Dicitur *actori* tuo "in jus veni", sequere ad tribunal Pan. 36. Hic significari videtur principis servus, cui cura aliqua ærarii mandata erat. (Tac. Col.).

Auctor. Hoc vocabulum omnino pro scriptore posuisse videtur contra consuetudinem optimorum scriptorum. Tu memineris sui cujusque generis *auctores* diligenter eligere 7, 9, 15. (Sen. Quint. Tac. Suet. al.). Præteriens moneo, Plinium dixisse: Propositus est libellus sine *auctore* 10, 96 (97), 4. (Cfr. Suet. Aug. 70) pro eo, quod est apud Ciceronem "sine nomine" (Cic. Cat. 3, 5, 12). (Præterea Livius saltem ad illam significationem transitum paravit).

Circulator. Hoc nomen Asinius Pollio (Cic. Fam. 10, 32, 3) imposuit homini, qui auctiones frequentabat, ut merces ibi vili pretio emtas postea pluris venderet, deinde sic appellati sunt pharmacopolæ, fabulatores aliique homines circumforanei, quibus quæstui ac lucro erant præstigiæ, narratiunculæ, alia, quibus homines paulisper detinebant et delectabant. Num etiam tu Reguli librum ut *circulator* in foro legeris 4, 7, 6. (Cels. Sen. Petr. al.).

Possessor contra consuetudinem veterum scriptorum dicitur *is, unde petitur,* et opponitur *petitori.* Dextrum (oculum circumlinebat), si a petitore, alterum, si a *possessore* esset acturus 6, 2, 2. (Dig.). Eodem fere modo Quint. I. O. 7, 1, 38 eum, qui in schola controversiam defendendam suscepit, *possessorem* dicit et opponit *actori.*

Ad extremum commemorandum est vocabulum, quod est *professor,* de eo poni, qui artem aliquam publice profitetur, pro *præceptore, magistro.* Valerius Licinianus apud Plinium dicit: (Fortuna), facis ex senatoribus *professores,* ex *professoribus* senatores 4, 11, 2. (Quint. Suet. Col.).

Hæc substantiva in *tor-trix-sor* exeuntia apud superiores quidem scriptores iisdem fere significationibus, quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Accusatrix, rara vox apud Plaut. (Asin. 3, 1, 10. "Tu mî accusatrix ades") translatam quodammodo vim habet, apud Plinium proprie usurpatur. Ita ut missurum me notum *accusatrici* ejus facerem 10, 59 (67).

Castigator. Nemo *castigator* adsistet Pan. 40. (Plaut. Hor. Liv.). Apud Plinium dicitur de eo, qui imperatoris nomine coërcere studebat sumptus funerum.

Convictor pro *conviva, sodali. Convictores,* non libertos puto 2, 6, 4. (Cic. fil. ap. Cic. Fam. 16, 21, 5. Hor. Ov. post.).

Contemptor. Contemptor ambitionis animus Pan. 55. (Verg. Ov. Sall. Jug. 64, 1. Liv.).

Cursor apud Ciceronem significat eum, qui in stadio cursu certat cum aliquo. Apud Plinium dicitur fere pro *tabellario,* ad quam significationem Nep. Milt. 4, 3 transitum paravit. Data opera *cursore* dimisso 7, 12, 6. (Plin. maj. Suet. Mart.).

Debitor apud veteres solutæ orationis scriptores proprie dicitur, apud Plinium ut jam apud Ovid. per translationem usurpatur. Habebis me, habebis ipsum gratissimum *debitorem* 3, 2, 6.

Librator, prisca vox, qua jam Cato usus est, significat eum, qui in aqua deducenda explorat, quanto altior sit locus unde, quam quo deducetur aqua. Superest ut tu *libratorem* mittas 10, 41 (50), 3.

Plausor. Populus scenici imperatoris *plausor* Pan. 46. (Hor. Petr. Suet.).

Substantiva in-*orium-arium*, quæ locum significant, ubi est aliquid, Plinius novasse videtur hæc:

Unctorium (ἁπ. εἰϱ.) significat locum balinei, ubi lavantes ungebantur. Adjacet *unctorium* 2, 17, 11. Credibile tamen est jam multo ante in usu fuisse vocabulum tam aptum et necessarium.

Cum æqualibus ei communia sunt:

Auditorium de loco, quo auditores conveniunt, multis locis exstat. Quasi populum in *auditorium* advocarim 5, 3. 11. Cfr. 2, 3, 6. 5, 17, 1. 5. 6, 2, 3. 6, 17, 1. 7, 17, 3. 13. 8, 12, 2. (Quint. Tac. Suet.). Præterea commemorandum est Plinium pro ipsis *auditoribus* posuisse. Adhibito ingenti *auditorio,* librum recitavit 4, 7, 2. Cfr. 2, 18, 2. (Suet.).

Conditorium pro *sepulcro* dicitur. *Conditoria* exstruere 6, 10, 5. (Plin. maj. Quint. Petr. Suet.).

Gustatorium significat lancem, in qua ferebatur gustatio vel promulsis. *Gustatorium* graviorque cena margini inponitur 5, 6, 37. (Petr.).

Spoliarium proprie dicitur de loco amphitheatri, ubi gladiatoribus necatis vestis detracta est, postea vero ponebatur de prædarum receptaculo. Nunc templum illud (ærarium), non *spoliarium* civium Pan. 36.

Nonnulla substantiva "abstracta", quæ vocantur, contra consuetudinem veterum scriptorum ponuntur pro "concretis":

Necessitudines apud veteres scriptores dicuntur conditiones, quæ intercedunt inter propinquos, familiares, alios, qui artis vinculis inter se conjuncti sunt, apud Plinium et æquales vocabulum ponitur pro ipsis *necessariis, amicis.* Adficior necessitudinum casu 8, 23, 7. (Tac. Curt. Suet.). De vocibus, quæ sunt *Descensio, Gustatio, Cenatio,* jam supra disputavi.

Gentilitas. Gentilitates pro *gentilibus* dixit. Sparsas atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere Pan. 39. (Cfr. Varr. ap. Non. 222, 17). Consentaneum est, Plinium, ut omnes scriptores, sæpissime substantiva abstracta posuisse pro concretis, sed præter illa, quæ attuli, nulla inveni, quæ commemoratione digna putarem.

Constat inter omnes "deminutiva", quæ vocantur, vocabula non magis ad parvitatem rerum et vilitatem significandam quam ad festivitatem quandam, comitatem, suavitatem, animi remissionem, ut ita dicam, indicandam. Cum autem scriptores argenteæ ætatis id ante omnia agerent, ut orationem lepidam, suavem, festivam efficerent, non est mirandum multa illa ætate deminutiva esse novata. Consentaneum est autem, ea præcipue usurpari in familiari illo sermone epistolarum proprio, ubi is, qui scribit, intimos animi sensus, ad quos indicandos aptissima sunt illa verba, effundat, ubi ante omnia festivitas quædam et hilaritas in scribendo expetatur.

Apud Plinium hæc substantiva deminutiva mihi commemoranda visa sunt, quorum ipse novasse videtur:

Actiuncula (ἀπ. εἰρ.) de brevi causæ oratione dicitur. Retracto enim *actiunculas* quasdam 9, 15, 2.

Cenatiuncula (ἀπ. εἰρ.) de loco, ubi cenatur, quemadmodum cenationis voce usus est. (Fons) excipitur *cenatiuncula* manu facta 4, 30, 2.

Columbulus (ἀπ. εἰρ.). Hac voce usus est de opusculo poëtico, quod erat editurus et fortasse inscripserat: "*Passerculi et Columbuli.*" Tu "*passerculis* et *columbulis*" nostris inter aquilas vestras dabis pennas 9, 25, 3. "Passerculus" proprie usurpatur etiam a Cicerone.

Indignatiuncula (ἀπ. εἰρ.). Hoc vocabulum posuit de indignatione, quam quondam cepit, cum videret, quanta negligentia audiretur quidam, qui librum recitavit. *Indignatiunculam*, quam in cujusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare quominus apud te per epistulam effundam 6, 17, 1.

Metula (ἀπ. εἰρ.) pro pusilla meta ponitur. Alternis *metulæ* surgunt 5, 6, 35.

Offendiculum. Hanc vocem novavit ad impedimenta significanda, quæ in argumento scripti cujusdam inerant. Sunt in hac (materia) *offendicula* nonnulla 9, 11, 1.

His novam vim imposuit:

Areola pro parva area omnino dicitur. (Diæta) cingit *areolam*, quæ quattuor platanis inumbratur 5, 6, 20. 21. 27. (Apud Col. dicitur de parva area horti floribus consita).

Sportula proprie significat qualum pusillum, quem cibi plenum patroni clientibus suis, cum ad salutandum venerant, dare solebant, sed apud Plinium ponitur de munusculis, quæ mali oratores orationem habituri vilibus hominibus, qui ideo laudiceni vocabantur, dabant, ut dicentibus sibi plauderent. In media basilica tam palam *sportulæ* quam in triclinio dantur 2, 14, 4. (Dig.).

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Glebula non solum proprie dicitur pro gleba parva ut apud Col. et Val. Max., sed etiam de fragmento metalli. *Glebulam* misi, quam se ex Parthico metallo attulisse dicebat 10, 74 (16), 3. (Vitr. "g. myrrhæ." Scrib. Comp. "g. nivis").

Laguncula pro parva lagena. Ut panarium et *lagunculam* sic etiam pugillares feras 1, 6, 3. 2, 6, 2. (Cic. Att. 6, 1, 25 jam pridem legitur "*plangunculæ*"). (Col.).

Mannuli pro parvis mannis. Habebat puer *mannulos* multos 4, 2, 3. (Mart.).

Narratiuncula pro brevi narratione. *Narratiunculis* pluribus renovatur (oratio) 6, 33, 8. (Quint.).

Socculus proprie significat quemvis calceum humillimum (Sen. Plin. maj. Suet.), deinde dicitur de pedum tegumentis, quibus in scena comoedi utebantur (Quint.), tum Plinius in locutione a scena petita lepide posuit vocem ad humilem villæ situm indicandum. Hanc (villam) appellare comoediam soleo, quod quasi *socculis* sustinetur 9, 7, 3.

Tirunculus pro pusillo tirone dicitur de eo, qui parum in re aliqua versatus est. Quod me quamquam *tirunculum* sollicitavit ad emendum (æs) 3, 6, 4. (Col. Sen. Suet. Juv.).

Tussicula pro leni tussi. Veteris infirmitatis *tussicula* admonitus rursus sanguinem reddidit 5, 19, 6. (Cels. Frontin.).

Jam apud superiores scriptores iisdem significationibus, quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Fonticulus pro parvo fonte. *Fonticulus* in hoc, in fonte crater 5, 6, 23. (Hor. Sat. 1, 1, 56. Plin. maj. Col.).

Sarcinulæ. Atque adeo jam *sarcinulas* alligamus 4, 1, 2. (Catull. 28, 2).

Nonnulla sunt substantiva, quæ propter varietatem et formationum et significationum non potui ad certa genera redigere, quamobrem ea commemorabo ordine litterarum descripta.

Eorum hæc fere Plinius novasse videtur:

Avocamentum, vocabulum significans, quod Plinius fecit ad designandum oblectamentum, quo animus a cogitatione doloris avocatur, ponitur fere pro *levamento*, *solatio*. Ero suspensus pro homine, dum admittere *avocamenta* et cicatricem pati possit 8, 5, 3. Cfr. 8, 23, 1. Pan. 82. De usu verbi "avocandi" absolute, ut aiunt, positi supra disputavimus.

Cavædium (ἀπ. εἰρ.) pro *cavo ædium*, ut est apud Varronem et Plin. maj., s. *impluvio* positum est. *Cavædium* hilare 2, 17, 5.

Electa (ἀπ. εἰρ.) dicuntur loci ex aliorum libris excerpti, quos collegerat et commentariis incluserat Plinius major. *Electorum* commentarios centum sexaginta mihi reliquit 3, 5, 17.

Laudiceni (ἀπ. εἰρ.) latine vocabantur plausores a malis oratoribus, ut dicentibus sibi plauderent, conducti. Græce dicebantur σοφοκλεῖς. Isdem latinum nomen inpositum est "Laudiceni" 2, 14, 5.

Sesquihora (ἀπ. εἰρ.) unam horam et dimidiam significat. Supererat sesquihora 4, 9, 9.

His novam vim subjecit:

Acor per translationem dicitur fere pro *acerbitate*. Hortor ut jucundissimum genus vitæ nonnullis quasi *acoribus* condias 7, 3, 5. (Propria significatione de acri sapore potionis v. cibi usi sunt Col. Quint. Plin. maj.). Vocabulum non videtur veteribus scriptoribus usitatum fuisse.

Cohors non solet usurpari nisi de *peditum* numero, sed apud Plinium legitur *cohors equestris*, in qua cohorte credibile est equites immixtos fuisse peditibus. Accio Aquila, centurione *cohortis* sextæ *equestris* 10, 106 (107).

Juba. Hac voce, quod sciam, nemo ante Plinium usus est de ornatu orationis. Illam (orationem) tori quidam et quasi *jubæ* decent 5, 8, 10.

Musculus. Num hac voce præter Plinium aliquis usus sit ad vim orationis significandam, dubito, quamquam persæpe oratio cum corpore solet conferri. Hanc (historiam) sæpius ossa *musculi* nervi decent 5, 8, 10.

Pertica significat baculum, quo cum ad multas alias res utebantur tum ad agros metandos (Prop. 5, 1, 130, ed. Keil.) pro decempeda. Hanc vocis vim Plinius in locutione, quæ in proverbii consuetudinem videtur venisse, transtulit ad modum et rationem homines tractandi. Non una, ut dicitur, *pertica*, sed distincte gradatimque tractavi 8, 2, 8.

Retinaculum, quod sæpe ponitur etiam apud veteres scriptores de vinculis, quibus aliquid retinetur, Plinius primus per translationem videtur usurpasse de rebus, quibus homo in vita retinetur. Multa illa vitæ, sed minora *retinacula* abrupit 1, 12, 8.

Singultus apud veteres scriptores solet usurpari de plorantibus, sed apud Plinium dicitur de interruptis sonis aquæ per angustum locum profluentis. Illa (ampullæ ceteraque generis ejusdem) per quasdam obluctantis animæ moras crebris quasi *singultibus* sistunt quod effundunt 4, 30, 6.

Species apud veteres scriptores eandem fere vim habet atque *forma*, *facies*, *imago*, sed apud Plinium significat idem, quod *casus*. Hæc quoque *species* incidit in cognitionem meam 10, 56 (64), 4. 10, 96 (97), 4. Neque tamen hic usus vocabuli multum differt ab eo, ubi significat formas v. partes inter se differentes, quæ generi cuidam subsunt, quasque genus amplectitur. Cfr. Cic. Top. 7, 30. Inv. 1, 27, 40. 1, 28, 42.

Venia. *Venia sit dicto* 5, 6, 46. Eodem modo dixit: *Inpune dixisse liceat* 8, 11, 2. Ejusmodi locutionibus Romani utebantur ad iram deorum avertendam, rati, si quis fortunam jactans superbum aliquid dixisset, quod displiceret diis, ultionem deorum semper esse paratam. Conferri potest, quod sæpe legitur apud veteres scriptores: "*Bona venia dixerim*, *Pace alicujus dixerim*, *dicere liceat*."

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Acta publica. Sic *acta urbana* v. *acta rerum urbanarum*, quæ sicut *acta senatus* conficienda et publico loco proponenda Cæsar curaverat, ut inde cognosci posset, quæ res gravissimæ Romæ fierent, dici coepta sunt, postquam *acta senatus* ab Augusto vetita sunt vulgari. Est in *publicis actis* 5, 13 (14), 8. 7, 33, 3. Pan. 75. (Tac. Suet.).

Cervical pro *pulvino* positum est. *Cervicalia* capitibus inposita linteis constringunt 6, 16, 16. (Plin. maj. Suet. Petr. Juv. Mart.).

Donativum dicebatur munus militibus datum ab imperatoribus. Id nomen non cognoverant veteres scriptores, qui congiaria appellabant etiam ea munera, quæ militibus dari solebant. Postea congiarium dicebatur munus populo datum. Datum congiarium populo et datum totum, cum *donativi* partem milites accepissent Pan. 25. 41. (Tac. Suet.).

Notarius dicebatur scriba, qui ad scriptum aliquod celeriter conficiendum notis utebatur. Ad latus *notarius* cum libro et pugillaribus 3, 5, 15. 9, 20, 2. 9, 36, 2. (Quint. Mart.).

Rescriptum dicebatur responsum Cæsaris litteris consignatum, quod petenti aliquid aut consulenti dabatur. Ex *rescripto* intellego libentius hoc ei te præstitisse, quia pro me rogabat 10, 2, 1. (Tac. Dig.).

Specularia dicebantur tenues laminæ ex lapide speculari vel fortasse ex vitro, quibus fenestræ claudebantur. *Specularibus* muniuntur (porticus) 2, 17, 4. 21. (Sen. Plin. maj. Juv. Col. Mart.).

Illorum verborum nullum videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse.

Hæc jam apud superiores scriptores, sed aliis significationibus quam apud Plinium exstant:

Calor apud Plinium per translationem ponitur pro ardore, ad quam translationem poëtæ Augusteæ ætatis, velut Ov. Hor. transitum paraverant, cum frequenter ponerent de ardenti amore. Dicentis *calor* con-

tinuatione servatur 4, 9, 11. Actiones quæ recitantur impetum omnem *caloremque* perdere 2, 19, 2. In subito pietatis *calore* Pan. 3. (Quint. Petr. Stat. Lucan.).

Codicilli. Apud veteres scriptores hoc vocabulum significat et tabulas, in quibus aliquid scribebatur, et ipsum scriptum. Postea vim suam ita mutavit, ut significaret aut codicem, quo extrema alicujus voluntas esset consignata, ubi testamenti legitime faciendi copia non erat, aut additamentum quoddam legitimi testamenti. Admones me *codicillos* Aciliani pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento 2, 16, 1. 2. 6, 31, 7. (Tac.).

Contubernium apud veteres scriptores significabat convictum militum, qui in eodem tentorio habitabant, vel ponebatur de conditionibus, quæ intercedebant inter ducem et comites juvenes, qui ducem artis belli discendæ causa voluntarii sequebantur, sed argentea ætate contubernium dicebatur cujusvis pæne convictus conditio, quæ intercedebat inter familiares, propinquos, alios.. Adhuc illum pueritiæ ratio intra *contubernium* tuum tenuit 3, 3, 3. Cfr. 2, 17, 29. 4, 19, 6. 5, 14 (15), 9. 7, 24, 3. (Tac. Suet.).

Gustus contra consuetudinem meliorum scriptorum ponitur fere pro *specimine.* Ad hunc *gustum* totum librum repromitto 4, 27, 5. (Sen. Petr. Col.).

Harena dicebatur locus amphitheatri, ubi gladiatores pugnabant, deinde per translationem usurpabatur de quovis pæne campo exercitationis, velut de judicio centumvirali. In *harena* mea, hoc est apud centumviros 6, 12, 2. (Flor. Lucan.).

Judicium de extrema hominis voluntate fere pro testamento dicitur, ad quam significationem nescio an ipse Cicero transitum paraverit. (Cfr. Fam. 13, 46. Dom. 19, 49). (Cum nos) suprema hominum *judicia* constringant 7, 20, 7. 7, 31, 5. Cfr. *Judicia* amicorum promeretur 10, 94 (95), 2. (Quint. Val. Max. Sen. Suet. Just.).

Latus pro *genere* latine dici negatur (Cfr. Krebs. Antib., ed. IV s. v. *latus*), sed exstat apud Plinium. Quibus (liberis) videor a meo tuoque *latere* pronum ad honores iter relicturus 8, 10, 3. (Præf. Stat. Silv. 5. Dig.).

Libellus apud Plin. (Cfr. 1, 10, 9. 5, 13 (14), 6. 9, 15, 1. 10, 81 (85), 5), sicut apud veteres scriptores variis modis usurpatur, nusquam tamen apud veteres significat idem, quod delatio s. accusatio litteris consignata, ut sæpe apud eos, qui post Augusti ætatem fuerunt. In scrinio ejus (Domitiani) datus a Caro de me *libellus* inventus est 7, 27, 14. (Vell. Flor.).

Materia. Hoc vocabulum apud veteres scriptores, si licet auctoritate Krebsii fidere, ad orationem translatum significat omnem rerum copiam et comprehensionem i. e. omnem, ut ita dicam, apparatum rerum, quæ ad aliquid scribendum necessariæ sint, sed apud Plinium et æquales aliquot, velut apud Senecam idem significat, quod argumentum. *Materiam* ex titulo cognosces, cetera liber explicabit 5, 12 (13) 3. Cfr. 2, 5, 5. 3, 13, 2. 5, 17, 2. (Sen. Clem. 1, 3, 1. Nat. Qu. 6, 4, 2. Quint. al.).

Nota contra consuetudinem optimorum scriptorum ponitur pro *genere*, ad quam significationem tamen nescio an poëtæ atque ipse Cicero transitum paraverint, cum sic dicerent signum amphoræ impositum, quo indicabatur, quibus consulibus natum esset vinum in amphoram infusum. Ex eadem *nota* . . . 9, 26, 9. (Quint. Col. Sen. Petr.). (Cfr. Cic. Brut. 83, 287. "Hæ notæ (vini) sunt optimæ." Cur. ap. Cic. Fam. 7, 29, 1. Catull. 68, 28).

Numeri contra morem veterum scriptorum dicebantur modo partes quædam exercitus, modo militum *enumeratio* vel *index*, in quem relata sunt militum nomina. Nondum distributi in *numeros* erant 10, 28 (38), 2. Neque enim adhuc nomen in *numeros* relatum est 3, 8, 4. (Cfr. Boetticher, "Lexicon Taciteum", s. v. Baumgarten Crusius, "Clavis Suetoniana", s. v.). Silentio prætereundum non est hoc vocabulum apud Plinium significare *graves causas*, quibus aliquis commoveatur ad aliquid faciendum. Conpulit me ad hoc consilium non solum consensus senatus, verum et alii quidam minores sed tamen *numeri* 3, 4, 5, qua locutione num quis alius usus sit, nescio.

Portio, qua voce veteres scriptores non utuntur nisi in locutione, quæ est *pro portione*, apud Plinium et æquales fere omnes ponitur pro *parte.* Curianus orabat ut sibi donarem *portionem* meam 5, 1, 2. Cfr. 7, 11, 6. (Cels. Sen. Quint. Plin. maj. Just. Col. Juv.).

Privilegium apud veteres scriptores significat legem contra aliquem latam, apud scriptores vero argenteæ ætatis prorsus contrariam vim habet, ita ut ponatur pro *jure præcipuo.* Habuisse *privilegium* arbitrio suo rem publicam administrare 10, 47 (56), 1; nisi vitiatus est locus, id quod Ussing l. l. Pag. 23 existimat. (Sen. Suet.).

Punctum propria significatione dicitur signum in fronte hominis malefici, præcipue servi impressum. Ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis Pan. 35. (Plin. maj. propria significatione dixit: "Ovorum alia *punctis* distincta." "Gemma sanguineis *punctis*"). (Cfr. Klotzii Lexicon).

Stilus pro *dictione*, *dicendi genere*, *forma*, *modo.* Etiamsi *stilus* ipse pressus demissusque fuerit 1, 8, 5. Cfr. 3, 18, 10. 7, 9, 7. Non

multum ab illis locis discrepat, quod legitur apud Cic. Brut. 26, 100. 45, 167. Orat. 44, 150.

Sulcus pro *aratione* contra morem veterum scriptorum dicitur. Tantis glebis tenacissimum solum adsurgit, ut nono demum *sulco* perdometur 5, 6, 10. (Col. Plin. maj.).

Torpor apud veteres scriptores de corpore dicitur, apud Tac. et Plinium transfertur ad animum ac fere pro *ignavia*, *desidia* ponitur. Neque enim adhuc ignavia quadam et insito *torpore* cessavimus Pan. 66. Boetticher, Lex. Tac., hunc usum soli Tacito tribuit. Insolenter quoque Plinius voce usus dixit. Non Albani lacus otium Bajanique *torporem* et silentium ferre poterat Pan. 82.

Hæc jam apud superiores scriptores iisdem significationibus, quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Aevum pro *ætate*, *tempore* dicitur. Exemplar *ævi* prioris 2, 1, 7. Pan. 78. Corpus *ævo* putrefactum 7, 27, 11. (Poët. Sall. Liv.).

Aquilex dicebatur *aquarum indagator*, qui ubi aqua inveniri posset, indagabat. Necessarium est mitti a te *aquilegem* 10, 37 (46), 3. (Sen. Varr. ap. Non.).

Aspergo. Aqua platanos et subjecta platanis leni *aspergine* fovet 5, 6, 20. Cfr. 2, 17, 14. (Cat. Vitr. Verg. Ov. al.).

Cæsaries pro *coma*. Ornata *cæsaries* Pan. 4. (Poët. Liv. 28, 35, 6).

Candor de *integritate*, *simplicitate*, *veritate* animi. Ut in illa (sorore) tuus *candor* agnoscitur Pan. 84. De candido dicendi genere usurpatur 3, 21, 1. (Ov. post.).

Confinium apud optimos scriptores non solet usurpari nisi propria significatione de vicinitate locorum. Poëtæ, velut Ov. ad tempus transtulerunt usum vocis, apud Auct. ad Her. 4, 11, 16 et scriptores, qui post Augusti ætatem fuerunt, etiam per translationem de aliis rebus vicinis dicitur, velut: Adhuc nemo extitit cujus virtutes nullo vitiorum *confinio* læderentur Pan. 4.

Commilitium de conditione eorum, qui una militant, fere pro societate militiæ dicitur. Spero tibi integritatem ejus etiam ex commilitio esse notissimam 10, 26 (11), 2. 10, 86 (18), 2. (Vell. Tac. Quint. Just. Flor.). (Ovidius per translationem posuit, unde colligere licet, vocem propria significatione jam ante in usu fuisse.).

Compendium apud veteres scriptores significat lucrum vel commodum aliquod, sed apud poëtas ponitur ad significandam deminutionem temporis ad aliquid perficiendum necessarii, atque etiam pro compendiaria via dicitur (Ov. Met. 3, 234), eamque significationem Plinius transtulit ad rationem honores petendi. Ad honores *compendia* paterent Pan. 95.

Consortium. Excepto Livio, nescio an hæc vox omnino inusitata fuerit ante argenteam ætatem. Adsumptus es in laborum curarumque *consortium* Pan. 7.

Curvamen, præeunte Ovidio, apud Plinium legitur. Hæc (villa) unum sinum molli *curvamine* amplectitur 9, 7, 4. 5, 6, 34.

Dies pro *luce* apud poëtas et scriptores, qui post Augustum fuerunt. Dubius et quasi languidus *dies* 6, 20, 6. 7, 27, 13. *Die* admisso 9, 36, 2. 9, 40, 2. Pan. 35.

Diluvium pro *eluvie*, *eluvione*. Hic adsiduæ tempestates et crebra diluvia 8, 17, 1. (Verg. Ov. post.).

Dos pro *virtute*, *commodo* poëtarum more dicitur. (Prædiolum) commendatur his *dotibus* 1, 24, 4. Cfr. 2, 17, 29. Naturæ fortunæque *dotibus* 3, 3, 4. (Cfr. Cic. d. Or. 1, 55, 234. Ov. post.).

Erro pro *vago*, *errabundo* dicitur. (Versus) quandoque ut *errones* aliquem cujus dicantur invenient 2, 10, 3. (Hoc vocabulo jam Hor. et Ov. usi sunt de hominibus).

Fultura per translationem ponitur. Corpori vaco, cujus *fulturis* animus sustinetur 1, 9, 4. (Hor.).

Hibernaculum. Excepto Vitruvio, hæc vox, quod sciam, non est apud veteres scriptores posita nisi in plurali numero de tentoriis, in quibus hiemali tempore milites habitabant, sed apud Plinium, ut apud Vitruvium significat conclave, in quo quis hieme solet versari. Hoc hibernaculum meorum est 2, 17, 7.

Horreum. Horrea proprie dicuntur frumenti receptacula, sed etiam præcipue apud poëtas et scriptores, qui post Augustum fuerunt, loci, ubi aliæ quædam res asservantur. Tantum illi pulcherrimorum operum in *horreis*, quæ neglegebat 8, 18, 11. (Hor. Od. 3, 28, 7. Verg. Ov.).

Indago. Usus hujus vocis, qua maxime poëtæ, velut Verg. utuntur de inclusione ferarum in venatione, ab Livio translatus est ad rem militarem, deinde Plinius de poenis delatorum dixit. Quos (delatores) repressisti mille poenarum *indagine* inclusos Pan. 35.

Lascivia de petulantibus rebus, quæ carmine continentur, dicitur. Erit eruditionis tuæ cogitare summos viros non modo *lascivia* rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse 4, 14, 4. (In malam partem hac voce usi sunt etiam Sall. et Liv.).

Lima per translationem dicitur pro *emendatione*, *expolitione*. Quo magis intendam *limam* tuam 1, 2, 5. 1, 8, 3. 5, 10 (11), 3. 8, 4, 7. (Hor. Ov.).

Livor pro *invidia*. Non ambitio magis quam *livor* et malignitas videri potest Pan. 58. Cfr. Pan. 3. (Brut. Cic. Fam. 11, 10, 1. Ov.).

Meatus. Jam apud Lucr. legitur "meatus lunæ." Apud Plinium dicitur *meatus animæ* de *respiratione. Meatus animæ* illi gravior et sonantior erat 6, 16, 13. (Similiter Quint. I. O. 7, 10, 10 dixit: "*Meatum spiritus.*" Cfr. Tac. Ann. 14, 51).

Mensura apud Plinium et æquales aliquot, quemadmodum apud Ovid. dicitur pro *modo*, *ratione.* Ne quid simile istic pro *mensura* periculi vereor 8, 17, 6. Mensuram beneficii tui intellego 10, 51 (12), 2.

Ministerium, præeuntibus Verg. Ov. Liv., usitatissimum est apud scriptores posteriores. Operam suam Prisco ad turpissimum *ministerium* commodasse 2, 11, 23. 3, 9, 14. 5, 19, 4. 9, 33, 10. 10, 27 (36). 10, 31 (40), 2. 10, 54 (62), 1. 10, 75 (79), 1.

Pignus. Hoc vocabulum apud poëtas, velut ap. Ov. Prop., et apud Livium ponebatur de conjugibus liberisque (Cfr. Liv. 2, 1, 5), deinde latius patere coepit usus vocabuli, ita ut hoc nomine amplecterentur etiam parentes, propinquos, necessarios, amicos. Corellium summa ratio ad hoc consilium compulit, quamquam habentem filiam uxorem nepotem sorores, interque tot *pignora* veros amicos 1, 12, 3. Cfr. Pan. 37. 39. (Quint. Tac. Stat.).

Populus pro *frequentia*, *multitudine* dicitur. Gratius tamen, quod occursantium *populus* te quoque, te immo maxime artaret Pan. 23. Cfr. Magnus e regione tota coit *populus* 9, 39, 2. (Ov. Catull. post.).

Prosocer apud Plinium dicitur *uxoris avus.* Eram cum *prosocero* meo 5, 14 (15), 8. 8, 20, 3. (Ov.).

Sedile. Sunt locis pluribus disposita *sedilia* e marmore 5, 6, 40. (Varr. Verg. Ov. Hor.).

Sidus de *tempestate*, *coeli temperatione.* Feræ gentes non telis magis quam suo coelo, suo *sidere* armantur Pan. 12. Cfr. Pan. 15. 29. (Verg. Ov. Hor. Prop.).

Suffugium, præeunte Ovidio, apud Plinium dicitur pro *perfugio.* Nullum in proximo *suffugium* aut imbris aut solis 9, 39, 2. (Sen. Quint. Tac.).

Temperamentum, vox aurea ætate rarissima (Cic. Legg. 3, 10, 24) a scriptoribus, qui post Augustum fuerunt, frequentata est pro *temperatione.* Tenebo hoc *temperamentum* 1, 7, 3. Hoc *temperamentum* ipse servavi 6, 29, 6. Pan. 3. Quamvis ille hoc *temperamentum* modestiæ suæ indixerit 3, 1, 6. Cfr. 2, 17, 9. 3, 20, 12. Pan. 10. 79. (Plin. maj. Tac. Just. Col.).

Temperies. Præeuntibus Ov. et Hor., multi scriptores, qui post Augustum fuerunt, hac voce usi sunt pro *temperatione.* Accipe *temperiem* coeli 5, 6, 3. Pan. 5. 15.

Titulus. Hac voce non solum 1) pro *nomine*, *vocabulo honoris* usus est, ut ipse Cicero (Tusc. 5, 10, 30, al.) fecit, velut: Te meminisse oportet officii tui *titulum* 8, 24, 7. 3, 8, 2; sed poëtas et Livium secutus posuit 2) de quibusvis pæne *inscriptionibus*, velut *ædium publicarum:* Quam bene cum *titulo* isto moribus tuis convenit Pan. 47; *templorum:* Excessuros templorum fastigium *titulos* Pan. 54; *domus conducendæ* vel *vendendæ:* Legit *titulum* auditoque pretio conducit 7, 27, 7; *monumenti:* Ille superbissimus *titulus* modicus atque etiam demissus videretur 8, 6, 2. Cfr. 7, 29, 3. 3) dicitur pro *nomine*, *præscriptione.* Ipse præterea accepisse sestertia decem milia foedissimo quidem titulo 2, 11, 23. (Ov. Liv. post.). 4) de *inscriptionibus sepulcrorum*, ut apud Juvenalem. Subit indignatio, post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine *titulo* jacere 6, 10, 3. 9, 19, 3. 8. 5) pro *indice* v. *inscriptione libri*, ut apud Quint. Col. Ov. Rem. Am. 1. Hendecasyllabi, qui *titulus* sola metri lege constringitur 4, 14, 8.

Torus pro *lecto* dicitur. Non in cubiculo nec ante genialem *torum* adoptio peracta est Pan. 8. Sic Verg. et Ov. secuti scriptores, qui post Augustum fuerunt, locuti sunt.

Tremor terræ pro eo, quod est *motus* terræ, jam apud Lucr. Verg. Ov. legitur, quos secuti sunt nonnulli scriptores posteriores. Præcesserat per multos dies *tremor* terræ 6, 20, 3. 9. 19. 6, 16, 15.

Vicis vocabulo, quod ne Ciceroni quidem inusitatum frequentius est apud Verg. Ov. Hor. Liv. posteriorum scriptorum multos, Plinius in locutionibus quibusdam, quas silentio non esse prætereundas existimavi, usus est. Solis *vicem supplet* 5, 6, 25. (Fratris) *vicem* debeo *implere* 6, 6, 6. (Cfr. Cic. Legg. 2, 19, 48: "Nulla est persona, quæ ad vicem ejus, qui e vita migrarit, propius accedat"). Te dedit, qui erga omne hominum genus *vice* sua *fungereris* Pan. 80. (Non rara est hæc locutio apud Livium velut: "Per speciem alienæ fungendæ vicis." Liv. 1, 41, 6). Veteres in ejusmodi locutionibus sæpius dicebant: *Partes* alicujus *agere*, *personam ferre*, *sustinere.* Si illi nullam *vicem deberem* 8, 12, 4. Neque est ullus adfectus qui magis *vices exigat* Pan. 85. *Reddam vicem* 2, 9, 6. His locis significari videtur officium mutuum. (Cfr. Cic. Sest. 4, 10. "Recito vicem officii præsentis"). Si conputes annos, exiguum tempus, si *vices rerum*, ævum putes 4, 24, 5. Cfr. Pan. 5. 12. 27. (Verg. Ov. Hor. Liv. post.). Usitatior est *vicissitudinis* vox. Commemoranda est etiam locutio *vicibus alternis.* Modicus hic umor *vicibus alternis* supprimitur vel egeritur 4, 30, 7; pro qua *alternis* adverbii loco absolute, ut aiunt, posuit. *Alternis* metulæ surgunt, *alternis* inserta sunt poma 5, 6, 35, ut jam apud Varr. Liv.

al., (Cfr. Hand. Turs. s. v. Pag. 281), et *vice alterna* sing. num. dicitur. *Vice alterna* nunc infertur mari, nunc redditur stagno 9, 33, 2.

Vigor. Aciliano plurimum *vigoris* 1, 14, 7. 5, 16, 4. Oculorum vigor integer 3, 1, 10. Cfr. 2, 19, 2. (Verg. Ov. Hor. Liv. post.).

Votum pro *voluntate*, *optato* frequentissimum est apud poëtas Augusteæ ætatis et scriptores, qui post Augustum fuerunt, ac ne optimi quidem solutæ orationis scriptores hunc usum vocabuli omnino repudiasse videntur. (Cfr. Liv. 35, 42, 5). Ego quoque simili nutu ac renutu respondere *voto* tuo possum 1, 7, 2. 1, 12, 8. 3, 1, 11. 5, 8, 3. 6, 26, 2. 7, 26, 3. 8, 6, 7. 10, 2, 2. 10, 4 (3), 2. Pan. 10. 12. 40.

Omnibus notum est, quam studiose imperatorum præcipue temporibus Romani Græcos scriptores lectitarint, ac Plinium quoque multum in Græcis litteris versatum esse, supra demonstravi. Unde consentaneum est in magna latinæ linguæ substantivorum penuria multa ejus generis vocabula a græco sermone assumpta illis temporibus in latinam linguam immigrasse, atque etiam Plinium multas voces Græcas admisisse, ubi apta deessent nomina latina. Neque enim periculum erat, ne græcorum vocabulorum usu oratio obscuraretur ea ætate, qua vix quisquam vel mediocriter eruditus esset, quin græce aliquatenus saltem sciret. Pleraque tamen substantiva græca, quibus Plinius usus est, aut artis vocabula sunt, aut nomina rerum, quæ a Græcis inventæ et nominatæ ad Romanorum usum postea pervenerunt. Apud Plinium illorum vocabulorum usus frequentissimus est in scriptis appellandis, in diversis villarum partibus describendis, in rebus provinciæ, cui pro prætore præerat, commemorandis.

Hæc substantiva græca primus Plinius in sermonem latinum induxisse videtur:

Aposphragisma est signum in annulo insculptum, quo sigilla impressa sunt. Signata est anulo meo, cujus est *aposphragisma* quadriga 10, 74 (16), 3.

Baptisterium est piscina vel labrum balnei tam amplum, ut ibi natari possit. In contrariis parietibus duo *baptisteria* velut ejecta sinuantur 2, 17, 11. 5, 6, 25.

Bule (ἀπ. εἰρ.) dicitur senatus v. collegium decurionum in civitatibus græcis et in iis, quarum administratio ad Græcorum consuetudinem moresque erat conformata. Qui in *bulen* a censoribus leguntur 10, 112 (113), 1. Cfr. 10, 81 (85), 1. 10, 110 (111), 1. 10, 116 (117), 1.

Buleuta dicitur senator in bulen allectus. Pecunia quam *buleutæ* additi beneficio tuo obtulerunt 10, 39 (48), 5. 10, 112 (113), 3. 10, 114 (115), 3. Quod dicunt, apud Ciceronem exstare buleuterium (Verr. 2, 21, 50) de curia Syracusanorum dictum, moneo, nunc in editione Klotzii legi: "Quem locum illi βουλευτήριον nomine appellant", græcis litteris scriptum.

Cryptoporticus, cujus vocis prior pars græcæ, posterior latinæ originis est, apud Plinium significat *porticum undique tectam* et a sole remotam, ubi refrigerationis causa morari solebant. *Cryptoporticus* prope publici operis extenditur 2, 17, 16. 17. 19. 20. 5, 6, 27. 28. 29. 30. 7, 21, 2. 9, 36, 3. (Klotz in lexico suo injuria attulit Suet. Cal. 59. Forsitan cogitaverit de loco illo Suet. Cal. 58, ubi legitur: "In crypta").

Cumbula (ἀπ. εἰρ.), substantivum deminutivum vocis *cumbæ*, qua ipse Cicero usus est, ponitur de *navicula* quadam. Velut *cumbulæ* onerariis adhærescunt 8, 20, 7.

Dianome (ἀπ. εἰρ.) significat *largitionem* factam ad homines corrumpendos, factiones parandas, seditiones movendas. Vereor ne ii qui mille homines, interdum etiam plures vocant modum excedere et in speciem *dianomes* incidere videantur 10, 116 (117), 2.

Ecclesia ponitur pro *concione* in civitatibus, quarum administratio ad Græcorum reipublicæ gubernandæ formam accommodata erat. Bule et *ecclesia* consentiente 10, 110 (111), 1.

Eranus significat *stipem collaticiam* vel pecuniam a sodalitate quadam ad egentes sodales juvandos collatam, ita tamen ut, si quando fortuna egentium commutata esset, acceptam pecuniam sodalitati solverent. Datum mihi libellum ad *eranos* pertinentem his litteris subjeci 10, 92 (93). (Cic. Att. 12, 5, 1 idem vocabulum græcis litteris scriptum est).

Heliocaminus proprie significat fornacem soli adversam, sed apud Plinium sic dicitur *cubiculum camera tectum*, quod undique exceptis solis radiis calebat. In hac (diæta) *heliocaminus* alia xystum, alia mare, utraque solem prospicit 2, 17, 20. (Dig.).

Hetæria (ἀπ. εἰρ.) proprie significat idem fere, quod collegium, sodalitas, societas, sed cum hetæriæ et sæpe essent et saltem crederentur institutæ ad tranquillitatem civitatis turbandam et seditiones disseminandas, Romanis erant suspectæ, quamobrem in malam partem vox apud Plinium est accipienda. Secundum mandata tua *hetærias* esse vetueram 10, 96 (97), 7.

Idyllium notum illud genus carminum significat. Sive epigrammata sive *idyllia* vocare malueris 4, 14, 9.

Lyristes dicitur, qui lyra canendi peritus est. Audisses comoedos vel lectorem vel *lyristen* 1, 15, 2. 9, 17, 3. 9, 36, 4. 9, 40, 2.

Mesochorus proprie dicitur magister chori et dux, qui modos nu-

merosque præibat, choro præcinebat, cujus denique ad signum chorus partes suas agebat, sed Plinius hoc nomine appellavit eum, qui homunculis a malis oratoribus plaudendi causa mercede conductis signum dat acclamandi. Infiniti clamores commoventur, cum *mesochorus* dedit signum 2, 14, 6.

Mimiambi sunt carmina iambico metro et ad mimorum similitudinem composita. Scripsit *mimiambos* tenuiter argute venuste 6, 21, 4.

Phantasma dixit vanam imaginem nocturnam. Perquam velim scire, esse phantasmata et habere propriam figuram putes 7, 27, 1. In eadem epistola eandem rem, ut supra demonstravi, dixit Idolon 7, 27, 5. Imaginem 7, 27, 6. Simulacrum 7, 27, 7. Effigiem 7, 27, 8.

Poëmatium dixit breve poëma. Sive eclogas sive, ut multi, *poëmatia* vocare malueris 4, 14, 9. 4, 27, 1.

Procoeton (*ἀπ. εἰρ.*) parvum membrum erat ædium ante cubiculum majus situm. *Procoeton* inde et cubiculum porrigitur in solem 2, 17, 23. 10. (Ap. Varr. eadem vox Græcis litteris scripta est).

Protopraxia (*ἀπ. εἰρ.*) dicebatur jus quorundam creditorum ante ceteros pecunias a debitoribus exigendi, jus primæ cautionis, exactionis. Inveni a plerisque proconsulibus concessam iis *protopraxian* 10, 108 (109), 1.

Zotheca, *Zothecula* dicitur parvulum conclave majori cubiculo adjunctum. Contra parietem medium *zotheca* recedit 2, 17, 21. *Zothecula* refugit quasi in cubiculum idem atque aliud 5, 6, 38.

His novam vim subjecit.

Cataracta apud Liv. (27, 28, 10) significat claustrum quoddam portæ urbis, apud Vitr. et Plin. maj. angustum et præruptum locum fluminis, unde aqua magno impetu desilit, apud Plinium minorem claustra ad cursum aquæ fluminis temperandum facta. Expeditum erat *cataractis* aquæ cursum temperare 10, 61 (69), 4.

Crater præcipue apud poëtas dicitur aut vas, in quo aqua et vinum aliive liquores miscentur et temperantur, aut os montis, unde flammæ eructantur, sed apud Plinium est *receptaculum aquæ*. In fonte *crater* 5, 6, 23. (Cfr. Cic. Att. 2, 8, 2).

Pædagogium dixit locum, ubi habitabant servuli teneri et pulchri, qui pædagogo rectore instituebantur ad ministeria quædam lautiora obeunda. Puer in *pædagogio* mixtus pluribus dormiebat 7, 27, 13. (Apud Sen. Plin. maj. Suet. talium servorum coetum significat).

Sipo, quæ vox proprie significat fistulam, per quam aqua (in altum) ducitur (Sueth. Pump), post Augusti demum ætatem in linguam immigrasse videtur, nam Cic. Fin. 2, 8, 23 lectio incerta est. Apud

Plinium videtur significare instrumentum ad incendia exstinguenda factum (Sueth. Brandspruta). Nullus usquam in publico *sipo*, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda 10, 33 (42), 2.

Sipunculus. Hoc substantivo deminutivo superioris vocis Plinius primus usus esse videtur de fistula, per quam aqua ducitur. Circa *sipunculi* plures miscent jucundissimum murmur 5, 6, 23. 36.

Hæc ei cum æqualibus communia sunt.

Agon pro *ludo* ponitur. Gymnicus *agon* apud Viennenses celebrabatur 4, 22, 1. 3. 7. 10, 75 (79), 2. 10, 118 (119), 2. (Suet.).

Bibliopola. Nisi tamen auribus nostris *bibliopolæ* blandiuntur 1, 2, 6. 9, 11, 2. (Mart.). Latini videntur apto nomine ad hoc verbum reddendum caruisse.

Diæta apud Ciceronem (Att. 4, 3, 3) significat rationem victus, apud Plinium et æquales aliquot idem quod *tabulatum*, *contignatio*. Est in hac *diæta* dormitorium cubiculum 5, 6, 21. 20. 27. 28. 2, 17, 12. 15. 20. 24. 6, 16, 14. 7, 5, 1. (Suet. Stat. Petr.).

Ecloga dicitur breve poëma. Sive idyllia sive *eclogas* vocare malueris 4, 14, 9. (Stat.). (Cfr. Vergil's Gedichte, ed. Ladewig, Berlin 1870, Einl. Pag. 8).

Hapsis proprie significat idem, quod nexus, deinde sic dicebatur curvatura rotæ, canthus, alia ejusdem formæ (Plin. maj.); apud Plinium minorem ponitur de semicirculata forma parietis cubiculi. Adnectitur angulo cubiculum in *hapsida* curvatum 2, 17, 8. Alii h. l. intelligi fornicationem tecti vel cameram existimant.

Hyperbaton pro *transgressione* in oratione dicitur. Num potui longius *hyperbaton* facere 8, 7, 2. (Quint.).

Hypocauston proprie quidem significat vaporarium (balinei), sed Plinius sic dixit cellam balinei vaporario calefactam. Adjacet *hypocauston* 2, 17, 11. 23. 5, 6, 25. (Stat.). (Vitr. 5, 10, 1 nunc legitur *hypocausis*).

Iatraliptes dicitur medicus, qui unctione et frictione morbis medetur. Plinium majorem latine appellasse "reunctorem medicorum", quia initio iatraliptæ servi quidam medicorum essent, Forcellini in lexico commemoravit. Gravissima valetudine vexatus *iatralipten* adsumpsi 10, 5 (4), 1. 10, 6 (22), 1. 10, 10 (5), 1. (Cels. Petr.).

Lemma modo dicitur argumentum carminis, modo carmen ipsum. *Lemma* sibi sumpsit, quod ego interdum versibus ludo 4, 27, 3. (Mart.). Si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit Ibid. (Apud Ciceronem (Div. 2, 53, 108) græcis litteris scriptum dicitur pro sumptione. "Sumptiones, ea quæ *λήμματα* appellant dialectici").

Metrum de versuum dimensione. Plautum vel Terentium *metro*

solutum legi credidi 1, 16, 6. 4, 14, 8. 7, 4, 8. 7, 9, 14. 8, 21, 4. (Quint. Suet. Mart.). Apud Ciceronem non videntur in usu fuisse nisi "numerorum modorumque" vocabula ad ea significanda, quæ Græci dicebant *μέτρα καὶ ῥυθμούς*. Cfr. Cic. d. Or. 3, 47, 182.

Morio dicebatur homunculus natura tam stolidus fatuusque, ut stupiditate sua risum moveret. Tales homines voluptatis causa alebant Romani nobiles divitesque. Scurræ cinædi *moriones* mensis inerrabant 9, 17, 1. 2. (Mart.).

Pantomimus dicebatur histrio, qui gestu et saltatione fabulas peragebat. Habebat illa *pantomimos* fovebatque effusius 7, 24, 4. 6. Pan. 46. (Suet.).

Periodus. Hanc vocem Cicero de industria evitasse videtur, qui dicit circuitum, ambitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem verborum. (Cfr. Cic. d. Or. 3, 51, 198. "Circuitum et quasi orbem verborum conficere." Or. 61, 204. Brut. 44, 162). Tam longas tamque frigidas *periodos* uno spiritu quasi torrente contorquent 5, 20, 4. (Quint.).

Scazon, qui idem choliambus dicitur, est versus iambicus senarius, cujus in extrema sede pro iambo spondeus positus est vel choreus. Cave ne eosdem istos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, convicio *scazontes* extorqueant 5, 10 (11), 2. (Mart.).

Sphæristerium omnino significat locum lusui pilæ institutum atque apud Plinium ejusmodi locum in balneo situm. Apodyterio superpositum est *sphæristerium* 5, 6, 27. 2, 17, 12. (Suet.).

Splenium proprie dicebatur herba quædam ad spleni medendum apta, deinde sic appellabatur non solum fasciola medicamentis illita, quam fronti oculisve ægris imponere solebant, sed etiam tenerrima linteola fucata, quibus tamquam stellis lunulisve (eam enim formam habebant) frontem ornare solebant et supercilia. Candidum *splenium* in hoc aut in illud supercilium transferebat 6, 2, 2. (Plin. maj. Mart.).

Stibadium dicebatur lectus semicirculatus, quo, ubi frequentes fieri coeperant mensæ rotundæ, pro veteribus tricliniis utebantur. *Stibadium* candido marmore vite protegitur 5, 6, 36. (Mart.).

Stropha apud Vitruvium significat vinculum, quo remus ad scalmum deligatur, deinde posteriores scriptores quidam per translationem posuerunt pro *fraude*, *arte dolosa*, *causa ficta.* Ego aliquam *stropham* inveniam 1, 18, 6. (Sen. Phædr. Mart.).

Syllogismus pro *conclusione*, *ratiocinatione* dicitur. Crebri *syllogismi* 2, 3, 3. (Sen. Quint. Plin. maj.).

Jam apud superiores aliquot scriptores hæc substantiva a Græco sermone assumpta exstant iisdem significationibus, quibus apud Plinium:

Andron proprie dicebatur conclave, ubi separatim a mulieribus viri morari solebant, apud Plinium vero, ut apud Vitruvium transitum angustum inter duos parietes significat. Interjacens *andron* parietem cubiculi hortique distinguit 2, 17, 22.

Elegi. Scripta *elegis* erat fluentibus et teneris 5, 17, 2. 6, 15, 1. 7, 4, 3. (Poët. Aug. æt. Tac. Suet.).

Hendecasyllabi. Accipies cum hac epistula *hendecasyllabos* nostros 4, 14, 2, al. 5, 10 (11), 1. 7, 4, 1, al. (Catull. Quint.).

Hippodromus dicitur curriculum vel spatium, in quo equi agitantur. (Triclinium) adjacentis *hippodromi* nemus comasque prospectat 5, 6, 19. 40. (Plaut. Mart.).

Peristylium dixit locum columnis circumdatum. Jussit in *peristylio* templum fieri 10, 70 (75), 2. (Vitr. Suet.). Cicero et Varro scripserunt "peristylum."

Podium quemvis pæne suggestum vel projecturam significat (latine dicitur fere mænianum), atque apud Plinium sic dicitur crepido inferior parietis interioris. Est et aliud cubiculum marmore excultum *podio* tenus 5, 6, 22. (Vitr.).

Propnigeon, quod latine præfurnium dicitur, proprie significat locum ante furnum v. fornacem situm, sed apud Plinium, præeunte Vitruvio, sic dicitur cella quædam balinei fornace tepefacta. Adjacet *propnigeon* balinei 2, 17, 11. (Vitr.).

Xenium proprie dicitur munus hospiti datum, deinde xenia vocabantur munuscula convivis post coenam et causidicis ob causam dicendam data. Abeuntibus nobis *xenia* sunt missa 6, 31, 14. In causis agendis etiam *xeniis* semper abstinui 5, 13 (14), 8. (Dig.). (Vitr. Mart. Suet. Petr. propria significatione vocabulo usi sunt).

Postremo commemorandum est Regulum ap. Plin. dixisse: "Habes *climactericum* tempus, sed evades" 2, 20, 3. "Climacterica" dicebantur momenta quædam vitæ, quæ mathematici fatalia et periculosa maxime senibus putabant. (Gell. al.).

Nonnullæ mihi visæ sunt dignæ, quæ afferrentur, formæ substantivorum, quæ aut a consuetudine optimorum scriptorum abhorrerent, aut apud eos rarissimæ essent.

Accusativus singularis numeri *primæ declinationis* in *-an* et *-en* exit pro *-am*. Lyristen 1, 15, 2. Poëticen 3, 15, 2. Iatralipten 10, 5 (4), 1. Protopraxian 10, 108 (109), 1.

Ablativus singularis numeri ejusdem declinationis in *-e* pro *-a* exit. Numquam a poëtice alienus fui 7, 4, 2.

Genitivus pluralis numeri *denariorum* 2, 11, 23. 10, 112 (113), 1.

(Cic. Fam. 9, 18, 4). *Nummorum* 10, 43 (52), 1. (Cic. Verr. 3, 49, 117. 3, 50, 118. Liv. Hor. post. [1]). Præterquam loco laudato semper Plinius usus est forma "*nummum*", velut 1, 19, 2. 3, 5, 17. 6, 3, 1. 7, 18, 2.

Accusativus singularis numeri *tertiæ declinationis* in-*a* desinit, velut: Hapsida 2, 17, 8. Agona 4, 22, 3. (Cicero Att. 2, 8, 2 legitur "cratera" [2]), et in -*en*, velut: Demosthenen, Aeschinen, Hyperiden 1, 20, 4. Periclen 1, 20, 17, quorum verborum accusativus flectitur secundum primam declinationem, quamquam ceteri casus secundum tertiam flectuntur. Præterea sic etiam optimi scriptores loquuntur [3]).

Ablativus singularis numeri *veteri* pro *vetere* legitur 5, 5, 2. 9, 37, 4 [4]).

Sodale pro *sodali*, quæ forma usitatior est 2, 13, 6 [5]).

Genitivus pluralis numeri *Civitatium* 10, 19 (30), 1 [6]).

Accusativus pluralis numeri in-*as* desinit, velut: Agonas 10, 75 (79), 2. Tales autem formæ etiam apud superiores scriptores exstant [7]).

Balinea pro forma, quæ est apud Ciceronem *balineæ* v. *balneæ*, poëtis, Livio, posterioribus scriptoribus in usu fuit [8]). Apud Plinium hæc forma exstat 2, 8, 2. 2, 17, 26. 7, 26, 3. 10, 39 (48), 6.

Juventa pro *juventute* 2, 3, 6. Pan. 8. (Poët. Liv.).

Nominativus pluralis numeri *joci* et *accusativus jocos* apud scriptores, qui post Augustum fuerunt, præeuntibus poëtis et Livio, exstant contra consuetudinem Ciceronis, qui dicit "joca" [9]). Joci 6, 15, 2. Jocos 2, 13, 5.

Accusativum pluralis numeri *ostrea* pro forma, quæ usitatior est *ostreas*, posuit 1, 15, 3; similiter *margarita* pro *margaritas* 5, 16, 7. [10]).

Nominativus et *accusativus pugillares* 1, 6, 1. 1, 22, 11. 7, 9, 16. 7, 27, 7. 9, 6, 1, pro qua forma Catullus 42, 5 *pugillaria* dixit. Aliæ formæ hujus vocabuli, quo pro codicillis, tabulis veteres scriptores solutæ orationis non utebantur, exstant 3, 5, 15. 6, 5, 6. 9, 36, 6. (Sen. Plin. maj. Suet.).

Vespera pro *vespero* apud Plinium legitur 2, 11, 18. 9, 36, 4, ut apud Livium et uno loco apud Ciceronem (Cat. 2, 4, 6 [11]).

---

1) Cfr. Neue, "Formenlehre der Lateinischen Sprache", Stuttgart 1866, erster Theil, Pag. 106. Krebs, Antibarb. ed. IV Einleitung, Pag. 23, § 24, 1.

2) Neue, l. l. e. Th., Pag. 311, sequ. 3) Neue, l. l. e. Th., Pag. 317.

4) Cfr. Krebs, Antib. Einl., Pag. 27, § 36.

5) Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 20.

6) Neue, l. l. e. Th., Pag. 274. 7) Neue, l. l. e. Th., Pag. 327.

8) Neue, l. l. e. Th., Pag. 572.

9) Neue, l. l. e. Th., Pag. 565. 10) Neue, l. l. e. Th., Pag. 569—71.

11) Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 2, 28, 92.

Poma dicuntur ipsæ arbores, in quibus poma crescunt 5, 6, 35. (Cat. Verg. Plin. maj.).

Latus in singulari numero pro *lateribus* dicitur. Voci laterique consulerem 2, 11, 15 [1]). (Quint. I. O. 10, 7, 2).

Vigilia in singulari numero opponitur somno; usitatior est pluralis numerus propria significatione voci subjecta. In his *vigilia*, in his etiam somnus reponatur 1, 3, 3. (Quint. I. O. 7, 2, 14. Suet. Aug. 78. Cels. 2, 6).

Frequenter substantiva "abstracta et materialia", quæ vocantur, apud Plinium in plurali numero posita sunt, cum vero vix quisquam [2]) sæpius quam Cicero ipse substantivis "abstractis" in plurali numero positis usus sit, nec satis constet quam late apud ceteros scriptores hic usus pateat, nihil interest me hic multa exempla afferre, quamobrem e magna copia pauca eligam.

Adventus 4, 1, 4. Desideria Pan. 20. Exitus 5, 5, 3. 8, 12, 4. Indignitates 2, 14, 14. Infirmitates 8, 16, 1. Lectiones 7, 21, 1. Metus 4, 21, 5. 6, 20, 1. 7, 27, 7. Militiæ 7, 25, 2. Mortes 8, 16, 1. (Cfr. Neue, l. l. e. Th., Pag. 436). Novitates 1, 4, 4. Obsequia Pan. 16. Secessus 4, 23, 4. Spes 8, 23, 7. Sterilitates 10, 8 (24), 5. Successiones 1, 12, 4. 10, 8 (24), 1. Varietates 4, 24, 6. Voluntates 2, 16, 2.

E substantivis "materialibus", quæ vocantur, hæc fere sunt commemoranda. Ceræ 1, 6, 1. Marmora 9, 39, 3. Mella 4, 3, 3. Præterea digna, quæ commemorentur substantiva in plurali numero posita, sunt: Materiæ 10, 41 (50), 2. Nives 8, 8, 4. Pan. 68. Soles 9, 2, 4 [3]). Vestes 5, 16, 7.

De ipsa "verborum collocatione" præteriens moneo, *imperatoris* vocem de principe usurpatam non solum ante nomen, sed etiam post nomen poni. Ibat ad Vespasianum *imperatorem* 3, 5, 9. 4, 17, 8. (Contra 4, 22, 4, qui locus Krebs. Antib. ed. IV, s. v. allatus est, in editione Keilii legitur apud *imperatorem* Nervam). Cognomen autem ante nomen sæpe ponitur, velut: Massa Bæbius pro Bæbio Massa 3, 4, 4; Rufus Varenus 5, 20, 1. (Cfr. Madvig, Grammat. Lat. ed. III, Pag. 436, Not. et Dræger, l. l. Pag. 75, § 221).

---

1) Cfr. Krebs, Antib. ed. IV, s. v.

2) Cfr. Dræger, "Über Syntax und Stil des Tacitus", Pag. 2. Leipzig 1868. Neue, l. l. e. Th., Pag. 395, sequ.

3) In eo Dræger, l. l. Pag. 1 erravit, quod usum hujus vocis in plurali numero positæ solis scriptoribus, qui post Augustum fuerunt, tribuit, nam hic usus ne a Cicerone quidem et Livio repudiatus est. (Cfr. Neue, l. l. e. Th., Pag. 433). Præterea si quis Grammaticam illam sæpius laudatam pervolutaverit, multos alios locos Plinii allatos inveniet, quos ego omisi ob eam sæpe causam, quod in editione novissima Keilii, quam editionem in hoc opusculo conscribendo ego secutus sum, lectiones sunt mutatæ.

De Adjectivis.

Supra dixi, argenteæ ætatis scriptorum proprium esse, ut contentiones sectarentur, quod studium in eo quoque cernitur, quod multa adjectiva cum *in* particula conjunxerunt [1]), quo priori contraria exsistit significatio. Hac ratione non solum contraria magis exstant atque eminent, sed oratio etiam aliquanto acrior fit et vehementior, cui rei non minus studebant illi scriptores. Veteres easdem notiones, quas illis adjectivis posteriores scriptores, exprimunt aut circumlocutionibus quibusdam aut *non* particula ante Adjectivum posita.

Hæc fere Adjectiva cum *in* particula conjuncta Plinius novasse videtur:

Inascensus (ἀπ. εἰρ.) pro *non ascenso* dicitur. *Inascensum* superbiæ principum locum terere Pan. 65.

Incongruens pro *non congruente*, *quod non congruit*. Alteram (sententiam) dissolutam atque etiam *incongruentem* vocant 4, 9, 19. (Gell.).

Indeflexus. Aetatis *indeflexa* maturitas . . . nonne longe lateque principem ostentant? Pan. 4. Significari videtur ætas satis provecta, quæ nondum ad senium inclinet.

Ingloriosus (ἀπ. εἰρ.). Hanc vocem lexicographi omiserunt, cum vero insit in optimo codice, haud injuria mihi videtur Keil eam retinuisse, quamquam in ceteris editionibus legitur "inglorius." Inlaudatus *ingloriosus* subit portum 9, 26, 4.

Inperspicuus (ἀπ. εἰρ.) pro eo, quod est *non perspicuus*, *difficilis ad perspiciendum*. Neque enim minus *inperspicua* sunt judicum ingenia quam tempestatum terrarumque 1, 20, 17.

Inreverens dicitur, qui non reveretur. Sum deprecatus ne quis ut *inreverentem* operis argueret 8, 21, 3.

Inturbatus (ἀπ. εἰρ.) pro *non turbato*, *quieto*, *tranquillo* dicitur. Sedit *inturbatus* (consul) Pan. 64.

His novam vim imposuit:

Inamoenus, qua voce jam Ov. usus est propria significatione de regnis infernis, apud Plinium per translationem ponitur de opere in litteris consumpto. Id genus operis (oratiunculas retractare) inamabile, *inamoenum* 9, 10, 3.

Incustoditus jam apud Ov. Tac. alios multos dicitur pro eo, quod est non custoditus, sed apud Plinium idem significat, quod *incautus*, *improvidus*. Tuitus sum Iulium Bassum ut *incustoditum* nimis et incautum ita minime malum 6, 29, 10. (Cfr. Tac. Ann. 15, 50).

[1]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 191.

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Inaffectatus. Ut "affectatum" apud scriptores, qui post Augustum fuerunt, dicebatur, quod arte quadam in ostentationem alicujus rei factum erat, pro putido, quæsito, fucato, adventicio, tal. velut: Adfectata aliis castitas, tibi ingenita et innata Pan. 20. (Quint.); ita *inaffectatus* ponebatur fere pro *nativo*, *candido*, *vero*, *sincero*. Quæ quam *inadfectata* veritas verborum! Pan. 67. (Quint.).

Inconprehensibilis. Sic dicitur, quidquid comprehendi et contineri nequit, atque apud Plinium *incomprehensibilis* dicitur, qui in disputando difficilis est ad convincendum et refutandum. Ut est in disputando *inconprehensibilis* et lubricus 1, 20, 6. (Quint. Sen. Plin. maj. Cels. Col.).

Inconcussus pro eo, quod est *non concussus*, *immobilis*, *firmus*, *constans* dicitur. *Inconcussus* religato navigio trahebatur Pan. 82. Hic (princeps), qui omnibus excelsior erat, *inconcussus* stetit Pan. 94. (Sen. Tac. Lucan. Stat.).

Inflexibilis dicitur, qui flecti non potest. Neque enim dubitabam, pertinaciam certe et *inflexibilem* obstinationem debere puniri 10, 96 (97), 3. (Plin. maj. Sen.).

Infructuosus per translationem pro *vano*, *inani*, *irrito* dicitur. Obversantur oculis cassi labores et *infructuosæ* preces 8, 23, 6. (Tac.). (Col. propria significatione vocabulo usus est).

Inlicitus pro *non licito*, *non concesso*. Oportet quæ sunt inhonesta non quasi inlicita, sed quasi pudenda vitare 5, 13 (14), 9. 10, 45 (54). (Tac. Lucan. Val. Fl. Stat.).

Inlunis dicitur nox, qua luna non lucet. Nox, non qualis *inlunis* aut nubila 6, 20, 14. (Sil.).

Insalubris. Sic dicitur tempus vel regio valetudini perniciosa fere pro *gravi*, *pestilente*. *Insaluberrimo* tempore 4, 2. 6. Putas *insalubres* (Tuscos meos) 5, 6, 1. (Plin. maj. Quint. Curt. Col.).

Illorum adjectivorum nullum videtur superioribus scriptoribus usitatum fuisse, nam Cic. Cluent. 47, 130, ubi olim legebatur "multitudinem illicitum est", nunc legitur "multitudini: nemini licitum est contra dicere."

Apud superiores quidem scriptores, sed paulo aliis significationibus atque apud Plinium et æquales exstant:

Inauditus. Inauditum apud veteres scriptores dicebatur, quod novum erat nec cuiquam auditum, sed apud scriptores, qui post Augustum fuerunt, dicitur de eo, qui *indicta*, *incognita causa*, *re inorata* damnatur. Absentem *inauditamque* damnavit incesti 4, 11, 6. Cfr. 6, 2, 8, ubi "*causa inaudita*" significat causam *nondum oratam*, cujus ideo

quæ ratio sit modusque, nemo cognovit aut divinare potest præter eum, qui causæ orationem habebit. Temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit causa *inaudita*. (Sen. Tac. Suet. Just.).

Inlaudatus apud Vergilium (Georg. 3, 5) ponitur pro laude indigno, detestabili, abominando, sed apud Plinium et æquales dicitur pro *non laudato* de eo, qui laude caret. Admirante nullo *inlaudatus* subit portum 9, 26, 4.

Apud poëtas superiores atque etiam apud solutæ orationis quosdam scriptores nonnullis locis, sed multo rarius quam apud Plinium et æquales hæc adjectiva cum *in* particula conjuncta iisdem significationibus, quibus apud posteriores scriptores exstant:

Inaccessus dicitur locus, quo accedi non potest. Hæc (innocentia) arx *inaccessa* Pan. 49. (Verg. Aen. 7, 11. 8, 195. Tac. Flor. al. [1]).

Inamabilis pro *non amabili* dicitur. Id genus operis (oratiunculas retractare) *inamabile* 9, 10, 3. (Plaut. Verg. Ov. Sen. post.).

Inæqualis pro *non æquali*. Nihil est tam *inæquale* quam æqualitas ipsa 2, 12, 5. 9, 5, 3. (Cic. Part. Or. 4, 12 lectio incerta est, nam alii legunt: "aut hæc inæquali varietate distinguimus"; alii: "æquabili" . . . At in editione Klotzii legitur "inæquali." (Ov. Hor. Liv. 41, 20, 3. Quint. Suet. al.).

Incompositus pro *incondito* ponitur. *Incompositum* enim et sparsum est (Gymnasium) 10, 39 (48), 4. (Verg. Liv. post.).

Incuriosus præterquam uno loco Sall. (Hist. 4, 65) non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse pro *negligente* [2]). Ita natura comparatum, ut proximorum *incuriosi* longinqua sectemur 8, 20, 1. Apud Sall. absol., ut aiunt, positum est. (Tac. Suet.).

Indefessus pro *non fesso*, *acri*, *strenuo* dicitur. Ille genitus Iove indomitus semper *indefessusque* Pan. 14. (Verg. Ov. post.).

Inevitabilis. Inevitabile dicitur, quod non potest evitari. Magnum et *inevitabile* malum Pan. 42. (Ov. Met. 3, 301. Sen. Tac. Curt.).

Inexpertus pro *intentato*, passiva vi subjecta. Genus quæstionis etiam *inexpertum* fuisse 8, 14, 11. (Verg. Hor. Liv. post.).

Inhabilis pro *non apto*, *non idoneo*. Quam acerbum mihi, si is cui omnis ex studiis gratia *inhabilis* studiis fuerit! 8, 1, 2. (Cic. Fragm. Oecon. 4, ed. Klotz. Pag. 261. Liv. 26, 16, 10. Tac. Col.).

Inhospitalis proprie dicitur, qui nisi invitus hospites non excipit, deinde sic appellatur terra, in qua molestum est habitare. Nuda saxa et *inhospitale* litus incoleret Pan. 34. (Hor. post.).

[1]) Erravit Krebs, l. l. s. v., qui argenteæ soli ætati vocis usum tribuit.
[2]) Krebs, l. l. s. v. "incurius" soli arg. æt. vocis usum tribuit.

Inlæsus pro *non læso*, *inviolato*, *integro*. Corpus inventum integrum, *inlæsum* 6, 16, 20. (Ov. Tibull. 4, 3, 17. post.).

Inmerens pro *non merito*, *innocente*. Honestissimum credidi non premere *inmerentem* 3, 9, 20. (Ter. Lucr. Hor. Catull. Nep. Dion 10, 1).

Inmitis pro *non miti*, *aspero*. Num istic quoque *inmite* et turbidum cælum? 8, 17, 1. (Verg. Ov. Tibull. Liv. Prop. post.).

Inmodicus pro *inmoderato*. Audit ex proximo *inmodicum* insolitumque clamorem 2, 14, 10. Tribuit mihi quantum petere voto *inmodicum* erat 4, 17, 9. 3, 20, 7. 5, 6, 14. 9, 4, 1. 9, 12, 2. 9, 26, 6. 10, 96 (97), 8. 10, 104 (105), al. Hæc vox apud omnes fere scriptores, qui post Augustum fuerunt, præeuntibus Ov. et Liv., frequentissima est. Sed etiam apud Sall. (Hist. 1, 114) invenitur [1]). Similiter *inmodice* adverbium pro *inmoderate* dicitur. *Inmodice* epistulam extendi 7, 9, 16. Cfr. 1, 20, 21. 6, 19, 2.

Inmotus pro *inmobili*, *firmo*. Incredibilem febrium ardorem *inmotus* opertusque transmittat 1, 22, 7. Cfr. Pan. 82. Cum serenus dies et *inmotus* 2, 17, 16. (Verg. Ov. Liv. 23, 24, 7. Quint. Tac. Sen. Vit. Beat. 4, 5. Const. 9, 3. 5, 4 [2]).

Inmundus. Si locum Ciceronis, quem Quint. I. O. 8, 3, 66 laudavit, exceperis, hæc vox poëtarum maxime et scriptorum, qui post Augustum fuerunt, propria videtur pro *sordido*, *horrido*, *incompto* posita. Cloaca turpis *inmundissimo* aspectu 10, 98 (99), 1. (Plaut. Verg. Hor. Plin. maj. Sen.).

Inoffensus pro *non offenso* dicitur. Secessus voluptates regionisque abundantiam *inoffensa* transmitteres 6, 4, 2. (Ov. Tibull. Tac. al.).

Inopinus pro *inopinato*, *necopinato*, *insperato*. *Inopina* siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruit (Aegyptus) Pan. 30. (Verg. Ov. Val. Fl. Stat. al.).

Inperturbatus, vox rarissima pro *non perturbato* ponitur. Audio *inperturbatus* 9, 13, 8. (Ov. Sen.).

Inquietus pro *non quieto*, *perturbato*. Anxium me et *inquietum* habet petitio Sexti Eruci 2, 9, 1. (Dies) ventis *inquietus* 2, 17, 16. Aestatem *inquietam* 7, 2, 2. Somnus *inquietus* 6, 20, 2. (Hor. Liv. post.).

Inreligiosus pro *non religioso*, *impio*. Dedicationem differre longius *inreligiosum* est 4, 1, 5. Cfr. 9, 35, 1. (Liv. 5, 40, 10, pro quo loco in plerisque lexicis injuria allatus est Liv. 5, 4. post.).

Inrevocabilis. *Inrevocabile* dicitur, quod non potest revocari. Ad

[1]) Krebs., l. l. s. v. injuria contendit, Livium primum vocabulo usum esse.
[2]) Krebs., l. l. erravit, quod hujus vocis usum solis ex sol. or. scr. Quint. et Tac. tribuit.

mortem *inrevocabili* constantia decucurrit 3, 7, 2. (Lucr. Hor. Liv. 42, 62, 3. post.).

Insuperabilis, qui non potest superari, dicitur. Si esset *insuperabilis* (valetudo), sponte exiret e vita 1, 22, 8. (Ov. post.) (Liv. de transitu montis et ejusmodi rebus vocabulo usus est). Plinii loco idem significat, quod *insanabilis*.

Interritus pro *non perterrito*, *non timido* ponitur. Audio *interritus* 9, 13, 8. Pan. 64. (Verg. Aen. 5, 427. 5, 863. 11, 837. Ov. Vell. Quint. Sen. al.).

Invalidus pro *infirmo*, *imbecillo*. Stomachus illi *invalidus* et angustus erat 6, 16, 19. (Verg. Ov. Liv. post.).

Ex adjectivis in-*alis* l. -*aris* desinentibus a nominibus ductis Plinius hoc novasse videtur:

Sacerdotalis. Ludos sacerdotales dixit ludos a sacerdotibus munera ineuntibus factos. Proximis *sacerdotalibus* ludis productis in commissione pantomimis 7, 24, 6.

Cum æqualibus ei communia sunt:

Extemporalis de oratione dicitur pro eo, quod est *subita*, *fortuita* oratio. Apud Plinium usurpatur de figuris orationis. In optima quaque (oratione) mille figuras *extemporales* invenimus 1, 20, 10. [1]). (Quint. Tac. Suet. Mart, Petr.).

Universalis pro *universo*, *generali*. Nihil inveniebam aut proprium aut *universale* quod ad Bithynos referretur 10, 65 (71), 2. (Quint.).

Etiam apud superiores scriptores iisdem significationibus quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Matronalis. Matronale dicitur, quod proprium est matronæ. Illi *matronalis* gravitas erat 5, 16, 2. 7, 24, 1. (Ov. Fast. 2, 828. Liv. 26, 49, 15. post.).

Puellaris. Puellare dicitur, quod proprium est puellæ. Illi erat suavitas *puellaris* 5, 16, 2. (Ov. Quint. Tac.).

Ex adjectivis in-*ilis* et-*bilis* exeuntibus a verbis ductis Plinius hoc novavit:

Monstrabilis pro *illustri*, *insigni* dicitur. Est probitate morum, ingenii elegantia operum varietate *monstrabilis* 6, 21, 3.

Cum æqualibus ei commune est:

Favorabilis, quæ vox a Vellejo primo usurpata est, et pro gratioso

[1]) Quod Krebs l. l. s. v. contendit, apud Plinium vocem crebram esse, id non est verum, nam præterquam illo loco nusquam exstat.

ponitur et activa quadam vi de eo, quod gratiam alicui conciliat. Fecerat eum *favorabilem* renovata discriminum vetus fama 4, 9, 22. 18. Operam dedit ut deprecari magis (id enim et *favorabilius* et tutius) quam defendi videretur 5, 13 (14), 3. (Vell. Sen. Tac. Quint. Suet. Flor.).

Jam apud superiores scriptores iisdem significationibus quibus apud Plinium, sed rarius exstant:

Agilis, qua voce præter Livium nescio an nemo optimorum solutæ orationis scriptorum usus sit. Apud poëtas Augusteæ ætatis et scriptores posteriores sæpe invenitur pro *impigro*, *haud segni*, *vigente*. *Agile* et vividum corpus 3, 1, 10. Rivus *agilior* 4, 30, 9. (Ov. Hor. Liv. post). Cum autem Cicero dixerit "agilitatem naturæ" (Att. 1, 17, 4), additis quidem ad locutionem quasi mitigandam verbis, "ut ita dicam", verisimile est etiam ejus ætate communi loquendi consuetudine hoc adjectivum tritum fuisse.

Navigabilis dicitur locus, ubi navigari potest. Adjacet *navigabile* stagnum 9, 33, 2. (Liv. Tac. Col.).

Notabilis. Quamquam hac voce ipse Cicero uno loco (Fam. 5, 12, 5) et Ovidius usi sunt, tam rara est tamen ante argenteam ætatem, ut commemorandum putaverim apud Plinium et æquales, velut ap. Plin. maj. Sen. Tac. Quint. Suet. Juv. usu frequentari coeptam esse pro *observando*, *notando*. Illud etiam *notabile*, ultimus ex Neronianis consularibus obiit 3, 7, 10. 3, 11, 2. Rara et *notabilis* res Vareno contigit 7, 6, 1. Cfr. 3, 14, 6. 4, 11, 16. 5, 1, 11. 6, 15, 4. 6, 33, 5. 7, 27, 14. 9, 13, 10.

Venerabilis pro *reverendo*, *colendo*, *sancto* dicitur. Ebrius quoque tam *venerabilis* erat 3, 12, 3. 4, 3, 1. 8, 24, 3. (Verg. Hor. Liv. Tac.). Eodem modo *venerandus* usurpatur. Non minus amabilis quam *veneranda* 7, 19, 7. Hoc vocabulum apud Ciceronem usurpatur de diis et qui deorum, ut ita dicam, loco habentur. (Cfr. Cic. Agr. 2, 35, 95).

Ex adjectivis in-*ius* desinentibus, quorum pleraque a substantivis in-*or* exeuntibus ducta sunt, Plinius primus his fere usus esse videtur:

Bellatorius. Hoc vocabulo, addita particula "quasi" velut ad locutionem mitigandam, usus est de stilo fere pro *litigioso*, *pugnaci*, cum qua voce conjunctum est. Non semper pugnacem hunc et quasi *bellatorium* stilum suaserim 7, 9, 7.

Castigatorius. *Castigatorium*, addita particula "quasi", dixit solatium, quo quis nimio dolore exprobrando dolentem consolari et a dolore avocare studet. Memento adhibere solacium, non quasi *castigatorium* et nimis forte, sed molle et humanum 5, 16, 10.

Præcursorius. *Præcursoriam*, addita particula "quasi", Plinius dixit

epistolam præmissam, qua aliquid rogat, quod postea præsens erat petiturus. Quod sum præsens petiturus hac quasi *præcursoria* epistula rogo 4, 13, 2.

Cum æqualibus ei est commune:

Dormitorius. Dormitorium cubiculum, membrum idem significat, quod 2, 17, 22 *cubiculum noctis et somni.* Adhæret *dormitorium* membrum 2, 17, 9. Est in hac diæta *dormitorium* cubiculum 5, 6, 21. (Plin. maj. "dormitorium" pro substantivo posuit).

Ex adjectivis in-*arius* desinentibus Plinius hoc novavit:

Orarius (ἀπ. εἰρ.). *Orarias* dixit naviculas humiles, quibus oras circumvehi solebant. Nunc destino partim *orariis* navibus partim vehiculis provinciam petere 10, 15 (26). 10, 17 (28), 2.

Jam apud superiores scriptores iisdem fere significationibus quibus apud Plinium, sed rarius hæc inveniuntur:

Octogenarius dicitur senex *octoginta annos natus.* Femina exheredata ab *octogenario* patre 6, 33, 2. (Vitruv. 8, 7, 4. Frontin. Pallad. de mensura vocabulo usi sunt). (In lexico Klotzii locus Suet. Juv. 1 est laudatus, sed incertum est, num de vita Juv. Suetonius scripserit. Cfr. Suet. ed. Roth. Pag. 300).

Caldarius et *Frigidarius. Caldariam* et *Frigidariam* cellam dixit loca balinei, ubi aqua calida aut frigida lavabantur. *Frigidariæ* cellæ connectitur media, cui sol benignissime præsto est; *caldariæ* magis 5, 6, 26. Cfr. 2, 17, 11. 5, 6, 25. (Vitr. "aënum" et Plin. maj. "æs caldarium" dixerunt. Pallad. "maltham caldariam"; Vitr. Cels. Sen. "caldarium" substantivi loco posuerunt. Eadem fere ratio est alterius adjectivi, quod est *frigidarius).*

Sedentarius. Hoc vocabulo Plautus (Aul. 3, 5, 39) usus est de sutoribus, qui inter sedendum opera sua perficiunt, postea vero coeptum est dici etiam de rebus, quæ ab aliquo inter sedendum fiebant. Ceteri mutam ac *sedentariam* adsentiendi necessitatem perpetiebantur Pan. 76.

Ex adjectivis in-*osus* desinentibus Plinius novam vim imposuit adjectivo, quod est:

Otiosus proprie dicitur, qui vacuus est muneribus, atque etiam de rebus sæpe usurpatur, velut "otiosum tempus, otiosa ætas" dicitur (Cfr. Quos (dies) alii *otiosissimis* occupationibus perdunt 9, 6, 4, aliosque multos locos), apud Plinium autem dicitur de pecunia, quæ non est foenore occupata. Quæ (pecuniæ) vereor ne *otiosæ* jaceant 10, 54 (62), 1. (Dig.).

Cum æqualibus ei communia sunt:

Contentiosus pro *litigioso, pugnaci, contentionis pleno* dicitur. Oratio de qua loquor pugnax et *contentiosa* est 2, 19, 5. (Quint. Decl. 5, 1 legitur "contentiosa" (i. e. pertinax) mendicitas, sed cfr. quæ de illis Declamationibus disputavit Bernhardy, "Grundriss der Römischen Litteratur", Dritte Bearbeitung Pag. 709, Not. 568).

Voluptuosus argentea ætate dicebatur pro *voluptatis pleno, voluptario. Voluptuosum* posse utraque (prædia) eadem opera, eodem viatico invisere 3, 19, 2. (Quint. Decl. Sidon. Præterea Krebs l. l. s. v. auctorem attulit Senecam, quod quo jure fecerit, nescio, quia locum non laudavit).

Apud superiores scriptores, sed aliis significationibus atque apud Plinium et æquales inveniuntur:

Numerosus. Numerosa apud Ciceronem aliosque dicitur oratio concinna, æquabilis apteque conclusa, sed apud scriptores, qui post Augustum fuerunt, ponitur diversissimis modis pro *multiplici, vario, copioso, amplo, multo,* velut: Hoc pretio quamlibet *numerosa* (i. e. multa) subsellia inplentur 2, 14, 6. 6, 33, 3. Hoc *numerosas* manus poscit 9, 37, 4 Tam *numerosum* (i. e. tantum) agmen reorum 3, 9, 11. Hic *numerosissimæ* (i. e. copiosissimæ, maxime multiplicis) causæ terminus fuit 3, 9, 22. *Numerosam* (i. e. amplam) domum uno beneficio sis obligaturus 4, 15, 4. Pan. 28. 39. Cfr. *Numerosius* gymnasium (i. e. quo plura membra ad varias exercitationes instituta continentur) 10, 39 (48), 4, (Plin. maj. Col. Mart. Quint. Tac.).

Ominosus. Ominosam Plinius dixit rem alicujus ominis. Notabilis atque etiam *ominosa* res accidit 3, 14, 6. (Præterea hac voce jam Messala usus est ap. Gell. 13, 14, 6, ubi legitur: "Montem istum (Aventinum) excluserunt, quasi avibus obscoenis ominosum").

Scrupulosus apud veteres scriptores propria significatione ponitur fere pro aspero, sed apud Plinium et æquales per translationem dicitur de eo, quod difficile est ad examinandum et enarrandum ideoque magnam diligentiam desiderat. Miraris quod tot volumina multaque in his tam *scrupulosa* homo occupatus absolverit 3, 5, 7. (Plin. maj. Quint. Frontin. Val. Max.). Illis addatur:

Stigmosus dicebatur servus, cujus fronti nota, quæ stigma vocabatur, inusta erat, qua non frugi servus indicatus est. Maxime fugitivis talis nota inuri solebat. Adicit Vitelliana cicatrice *stigmosum* Regulus ap. Plin. 1, 5, 2. (Petr.).

Jam apud superiores scriptores iisdem fere significationibus quibus apud Plinium et æquales, sed rarius exstant:

Fabulosus. Fabulosum dicitur quod fabulis celebratur, fabularum plenum est. Quæ tam poëtica et tam *fabulosa* materia? 8, 4, 1. (Hor. Plin. maj. Quint. Curt. Suet. Just. Flor.).

Famosus apud veteres scriptores solutæ orationis in malam partem dicebatur pro infami, sed jam Horatius dixit: "Ponet famosæ mortis amorem" a. p. 469, eumque secuti posteriores voce usi sunt pro *claro*, *fama celebrato*, *nobili*. Agam causam pulchram et *famosam* 6, 23, 1. Cfr. 2, 11, 1. 9, 13, 11. (Tac. Suet. Flor.).

Inportuosus. Exceptis Sallustio (Jug. 17, 5 [1]) et Livio (10, 2, 4[2]), hoc vocabulum non videtur veteribus scriptoribus usitatum fuisse pro *portubus carente*. Litus *inportuosum* hoc receptaculo utetur 6, 31, 17. (Tac. Plin. maj. Sen.)

Nemorosus pro *nemoribus abundante* dicitur. Collis adsurgit antiqua cupresso *nemorosus* et opacus 8, 8, 2. (Verg. Ov. Sall. Hist. inc. 42, ed. Dietsch. Plin. maj. Sil.).

Onerosus pro *molesto*, *gravi* dicitur. Nec est quod verearis ne sit mihi *onerosa* ista donatio 2, 4, 3. Cfr. 2, 6, 5. 2, 11, 13. 3, 18, 3. 5, 8, 12. Pan. 44. 78. 91. (Ov.). (Verg. et Plin. maj. propria significatione usi sunt).

Spatiosus pro *amplo*, *lato*. Balinei cella *spatiosa* 2, 17, 11. Cfr. 4, 20, 2. 7, 27, 5. 9, 7, 4. Duodecim clepsydris, quas *spatiosissimas* acceperam, sunt additæ quattuor 2, 11, 14. (Vitr. Verg. Ov. post.). Per translationem dicitur: Temerarium existimo divinare, quam *spatiosa* sit causa inaudita 6, 2, 8, (Sen.). Eodem modo adv. *spatiose* positum est 3, 18, 1.

Speciosus pro *pulchro*, *amoeno*. Cognovi *speciocissimam* te porticum dedicasse 5, 11 (12), 1. Pan. 63. (Ov. Hor. post.).

Adjectiva cum *per* particula conjuncta apud Plinium hæc sunt commemoranda:

Percopiosus de scriptore dicitur. In quibus (int. quæ de me scripsisti) quidem *percopiosus* fuisti 9, 31, 1.

Perdecorus (ἀπ. εἰρ.). Est alioqui *perdecorum*, a me tamen non ideo fiet 3, 9, 28.

Peracerbus apud Ciceronem ponitur propria significatione, sed Plinius per translationem quoque vocabulo usus est, id quod nescio an nemo alius fecerit. Mihi quidem illud etiam *peracerbum* fuit, quod sunt alter alteri quid pararent indicati 6, 5, 6.

---

[1]) Præteriens moneo, plerosque lexicographos injuria laudasse Sall. Jug. 20, 5.
[2]) Hic locus addi potest ad eos, qui in lexicis laudati sunt.

Supra indicavi, nova et inusitata aucupatos esse scriptores, qui post Augustum fuerunt, eosque audacibus translationibus et inauditis frequenter usos esse, unde fluxerunt minus usitatæ significationes multorum participiorum, quæ cum adjectivorum fere loco posita sint, hic libet afferre una cum adjectivis quibusdam participiorum ratione conformatis.

His fere participiis adjectivorum loco positis Plinius novam vim imposuit:

Circumscriptus diversis modis usurpatur apud omnes scriptores, sed de oratore eadem significatione, qua *pressus* dicitur, num quis præter Plinium posuerit in dubium potest vocari. In contionibus idem qui in orationibus est, pressior tamen et *circumscriptior* et adductior 1, 16, 4. Eadem est ratio alterius vocabuli *adductior*, quod argentea demum, ut videtur, ætate per translationem poni coeptum est pro *presso*, *adstricto*, ducta translatione ab "habenis adductis."

Hamatus, qua voce propria significatione usi sunt Lucr. Ov. Vitr., Cic. Ac. pr. 2, 38, 121, a Plinio per translationem ponitur de muneribus eo consilio datis, ut is, qui acceperat, majora remuneraretur. Hos ego viscatis *hamatisque* muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere 9, 30, 2. (Martialis eadem significatione dixit: "Munera magna quidem misit, sed misit in hamo" 6, 63, 5. Cfr. "Imitantur hamos dona" Mart. 5, 18, 7).

Inductus pro *arcessito*, *quæsito* de sermone dicitur, a qua quidem dicendi consuetudine non ita multum abhorret, quod apud Ciceronem (Phil. 13, 19, 43, al.) legitur: "Quod verbum omnino nullum in lingua latina est, id novum inducis." Cum ea potius quæ pressius et adstrictius quam illa quæ hilarius et quasi exultantius scripsi possint videri arcessita et *inducta* 3, 18, 10. 5, 6, 44. Cfr. Insiticio et *inducto* sermone 4, 3, 5 de sermone græco, qui opponitur sermoni latino.

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Gradatus. Gradatum dicitur, quod graduum formam habet. Hanc (maceriam) *gradata* buxus operit et subtrahit 5, 6, 17. (Plin. maj.).

Innutritus alicui rei dicitur, qui jam inde a pueritia assuefactus est aliqua re. Donec homines *innutritos* mari subiret timendi pudor 9, 33, 6. *Innutritus* bellicis laudibus pacem amas Pan. 16. (Vell. Sen. Suet. al.).

Pullatus. Pullati dicebantur homines infimæ plebis, quia plerumque pulla veste erant induti. Illos quoque sordidos *pullatosque* reveremur 7, 17, 9. (Quint. Suet.).

Tubulatus. *Tubulatum* dicitur, quod tubulis instructum est. (Transitus interjacens) *tubulatus* conceptum vaporem huc illuc digerit et ministrat 2, 17, 9. (Plin. maj.).

Illorum verborum nullum videtur apud veteres scriptores inveniri.

Aliis significationibus apud veteres scriptores atque apud Plinium et æquales exstant:

Abscisus. Quamquam et Cicero et Livius per translationem hac voce usi sunt, dubito tamen, num ante argenteam ætatem in usu fuerit de oratione pro *conciso*, *infracto*, *amputato*. Non amputata oratio et *abscisa* tonat 1, 20, 19. (Quint. Val. Max. Cfr. præterea, quæ de verbis "abscindendi et abscidendi" Klotz disputavit in lexico). Similiter *circumcisa* oratio dicitur. Quorum (oratorum) sane plurimæ (orationes) sunt *circumcisæ* et breves 1, 20, 4. (Quint.).

Compactus. *Compactum* dicitur corpus, cujus membra apte beneque sunt coagmentata, fere pro *firmo*, *robusto*. Ultra matronalem modum *compacto* corpore et robusto 7, 24, 1. (Suet. Col. Pallad. Mart. Facilis erat ad hanc significationem transitio, neque enim multum differt, quod legitur Cic. Fin. 3, 22, 74. "Quid aut in natura aut in operibus manu factis tam compositum tamque compactum et coagmentatum inveniri potest?")

Curatus pro *accurato*, *diligente* dicitur. Me quidam secreto *curatoque* sermone corripit 9, 13, 10. (Tac.). Similiter adverbium, quod est *curate*, positum est pro *accurate*[1]). Epistulas, si quas paulo *curatius* scripsissem, colligerem publicaremque 1, 1, 1. (Tac.). Omnibus notus est veterum scriptorum usus hujus verbi.

Effectus apud Plinium et æquales dicitur pro *elaborato*, *arte perfecto*, *absoluto*. Crebri syllogismi, circumscripti et *effecti* 2, 3, 3. Cfr. Respondebis non posse perinde inchoata placere ut *effecta* 8, 4, 7. (Quint.). Apud veteres scriptores significat idem, quod factus, perfectus.

Erasus. *Erasos* Plinius dixit eos, quorum nomina deleta erant in tabulis, ubi inscripti erant congiaria accipientes. (Congiarium) datum est iis qui post edictum tuum in locum *erasorum* subditi fuerant Pan. 25. (Cfr. Tac. Ann. 4, 42. Suet. Proprie usi sunt Varr. et Prop.).

Expositus pro *facili aditu*, *comi*, *affabili*. Est obvius et *expositus* plenusque humanitate 1, 10, 2. (Stat. Lucan.[2]). De dicendi facultate positum vocabulum idem fere significat, quod *apertus*, *facilis*

[1]) Sall. Jug. 16, 3 nunc legitur "accuratissime."

[2]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 191.

ad intelligendum. Dicendi facultas aperta et *exposita* statim cernitur 3, 3, 6. (Stat. Cfr. Quint. I. O. 2, 5, 19).

Nolens, quod participium suspicati sunt non exstare nisi apud Plin. maj. Flor. Sen. Quint.[1]), uno loco invenitur apud Plinium minorem. Magni æstimo dignitati ejus aliquid adstruere etiam *nolentis* 3, 2, 5.

Tersus apud veteres scriptores propria significatione usurpatur, sed apud Plinium per translationem ponitur de scriptis pro *elegante*, *polito*. Leges opus *tersum* molle jucundum 9, 22, 2. Cfr. 2, 3, 1. 7, 25, 4. (Quint. Stat.).

Viscatus. *Viscatum* apud veteres scriptores, velut ap. Varr. Ov. al. proprie dicitur, quod visco oblitum est, postea vero per translationem *viscata* dicuntur munera alicui eo consilio data, ut majora reddat is, qui accepit. *Viscatis* muneribus 9, 30, 2. (Sen.),

Hæc participia adjectivorum loco posita jam apud superiores scriptores iisdem significationibus quibus apud Plinium et æquales, sed rarius exstant:

Abruptus eadem significatione ponitur qua *præruptus*, *præceps*. Dices insessa castris montium *abrupta* 8, 4, 2. Cfr. 9, 39, 5. Plerumque altis et excelsis adjacent *abrupta* 9, 26, 2. Hoc loco, ubi de oratione dicitur, translatam quodammodo vim habet, ut apud Tac. et Quint. (Liv. Catull. post.).

Adopertus pro *operto*, quod usitatius est, vel *tecto* dicitur. Cryptoporticus quoque *adopertis* inferioribus fenestris tantum umbræ quantum luminis habet 7, 21, 2. (Verg. Ov. Liv. Tac. post.).

Altus apud Plinium multis locis insolentius usurpatur poëtarum fere more, velut: In *altissima* tranquillitate 2, 1, 4. In *alto* secessu 1, 3, 3. Cfr. 2, 8, 1. 2, 17, 22. 3, 3, 6. *Altius* otium 5, 6, 45. Cfr. 9, 3, 1. (Verg. Aen. 6, 522 dicitur: "Alta quies." Liv. 7, 35, 11: "Somno altissimo"). Se ab ineunte ætate *altioribus* studiis artibusque dediderit 5, 16, 8. Attuli quæstionem *altissima* ista eruditione dignissimam 4, 30, 1. Inter *altissimas* condiciones generum non honoribus principem, sed sapientia elegit 1, 10, 8. (Cfr. "Artes altiores" Quint. I. O. 8, 3, 2. "Altioribus disciplinis" Ibid. 2, 1, 3. "Altior pavor" Tac. Ann. 16, 29. "Alta dissimulatione" Curt. 10, 9, 8). Fortasse non est silentio prætereundum apud Plinium legi: Nihil *altius* voluit 1, 14, 5 pro eo, quod est usitatius: "Non majora spectavit, appetiit."

Arcessitus. Præteriens moneo, Plinium dixisse *arcessitam* mortem: Quos *arcessita* mors aufert 1, 12, 2, pro "morte voluntaria", ut est apud Ciceronem (Fin. 3, 18, 61), quamquam translatum vocis usum

[1]) Cfr. Krebs, l. l. s. v. "nolle."

nequaquam repudiavit Cicero (Cfr. de Or. 2, 63, 256. "Cavendum est, ne arcessitum dictum putetur." al.).

Arcuatus. Arcuatum dicitur, quod in modum arcus curvatum est. Videtur aqua debere perduci *arcuato* opere 10, 37 (46), 2. (Ov. Liv. Frontin.).

Attonitus pro *perculso*, *perturbato*, *perterrito* dicitur. Diu jam in urbe hæreo, et quidem *attonitus* 1, 22, 1. Cfr. 6, 20, 7. Pan. 38. 48. 68. 76. (Verg. Ov. Sall. Hist. 1, 88. Liv. post.).

Audens pro *audaci.* Puer quidam *audentior* ceteris 9, 33, 4. Visus es mihi adnotasse quædam ut inproba, quæ ego *audentia* arbitrabar 9, 26, 5. (Verg. Ov. Tac. Val. Flacc.).

Auspicatus pro *fausto*, *felici.* Erat *auspicatissimum* natalem tuum in provincia celebrare 10, 17 (28), 2. (Hor. Catull. post.).

Exactus de homine dicitur pro *diligente.* Ille obsequium Serviano, *exactissimo* viro, præstitit 8, 23, 5. (Cfr. Ov. Fast. 3, 383. "Mamurius morum fabræne exactior artis." De rebus per translationem sæpius usurpatur. Cfr. Liv. 3, 5, 12. "Exacto numero." Ov. Pont. 4, 9, 46. "Exacta fide." Sen. Ep. 8, 2 (71). 28. "Exactæ virtutis" al.).

Exercitus apud optimos scriptores vix dicitur nisi de animantibus pro jactato, sed postquam poëtæ de rebus ponere coeperunt (Ov. Trist. 5, 5, 49: "Adversis probitas exercita rebus"), posteriores scriptores usurparunt fere pro *gravi*, *molesto.* Patiar ergo æstatem inquietam vobis *exercitamque* transcurrere 7, 2, 2. Statione *exercita* Pan. 86. (Tac. Cfr. Cic. Mil. 2, 5).

Extortus dicitur homo, cujus membra morbo aliquo distorta sunt, sicut apud Liv. 32, 38, 8, al. extorti dicuntur, qui tormento excruciati et distorti sunt. Omnibus membris *extortus* et fractus tantas opes solis oculis obibat 8, 18, 9. (Sen. Juv. Petr.).

Feriatus apud optimos scriptores dicitur de hominibus, sed apud Plinium etiam de tempore, quo feriæ aguntur, et de aliis rebus. Dies *feriatus* patitur plura contexi 3, 14, 6. cfr. 10, 8 (24), 3. Toga *feriata* 7, 3, 2. (Plaut. Mil. 1, 1, 8. Plin. maj. al.).

Interfusus. Interfuso mari defenditur Pan. 16. (Verg. Hor. post.).

Lymphatus pro *fanatico*, *furente* dicitur. Plerique *lymphati* terrificis vaticinationibus et sua et aliena mala ludificabantur 6, 20, 19. (Varr. L. L. 7, 5, 87, ed. Mueller. Poët. ap. Cic. Div. 1, 36, 80. Contra injuria Schütz Lex. Cic. laudavit Div. 1, 16. Verg. Ov. Hor. Catull. Liv. post.).

Medicatus. Quemadmodum apud Vergilium et Ovidium, sic apud posteriores scriptores medicatum dicitur, quod aliquo medicamento illitum vel mixtum est, ac Plinius medicatum saporem tribuit aquæ

lacus Vadimonis, quæ metallis solutis, unde saporem duxerat, mixta ad morbis medendum apta putabatur. Sulpuris odor saporque *medicatus* 8, 20, 4.

Perosus. Curtilius Mancia *perosus* generum suum Domitium Lucanum 8, 18, 4. (Verg. Ov. Liv. post. Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 259).

Præfloratus. Hæc vox rarissima apud Liv. (37, 58, 7) Gell. Appul. legitur fere pro *delibato.* Non ambitio magis quam livor et malignitas videri potest summum illud purpuræ decus non nisi præcerptum *præfloratumque* transmittere Pan. 58.

Pumicatus proprie dicitur is, cujus cutis pumice levigata est et perpolita, deinde ponitur fere pro *molli*, *effeminato.* Titulus a vita hominis compti semper et *pumicati* non abhorrebat 2, 11, 23. (Mart. Lucil. ap. Non. et Catull. verbo pumicandi usi sunt).

Seductus apud Plinium dicitur, qui ruri in otio vitam degit, ad quam locutionem poëtæ (velut Ov. Met. 4, 623) transitum paraverant, cum de locis remotis usurpare coepissent. Illis quos doctissimos novi non minus hos *seductos* et quasi rusticos verear 7, 25, 5. Eandem fere vim habet *sepositus. Sepositis* et absentibus in rura sua consulatus ferebantur Pan. 57. (Prop. 1, 20, 24. "Sepositi fontis").

Sequens de tempore ponitur pro *insequente*, quod usitatius est. *Sequenti* die audita est Gallita adulterii rea 6, 31, 4. 5, 11 (12), 1. *Sequens* mensis complures dies feriatos habet 10, 8 (24), 3. (Cfr. de hoc vocis usu Krebs, l. l. s. v. et Seyffert, Pal. Cic. Pag. 37).

Solitus pro *consueto*, *usitato* dicitur. Constat redditis viribus priorem lasciviam et *solita* ministeria repetisse 9, 33, 9. Tremor terræ Campaniæ *solitus* 6, 20, 3. Cfr. 6, 23, 2. Sumus *solito* rariores 2, 14, 14. (Verg. Ov. Hor. Sall. Hist. 3, 1, ed. Dietsch. Liv. post.).

Hæc fere adjectiva in *-ax* desinentia apud Plinium inveniri commemorandum putavi:

Efficax dicitur, quod vim quandam habet aliquid efficiendi. Quid precibus *efficacius* amantis 6, 18, 2. Pan. 71. 84. (Cæl. ap. Cic. Fam. 8, 10, 3. Hor. Liv. Plin. maj. Suet. Col. al.). Similiter *efficaciter* adverbium dicitur pro eo, quod est apud Ciceronem "efficienter." Putem me *efficacius* tecum etiam meos amicos rogaturum 6, 6, 8. Rogat, et quidem *efficacissime*, qui reddit causas rogandi 2, 13, 11. (Quint. Tac. Sen.) Præterea non est silentio prætereundum Ciceronem "efficacitatis" voce usum esse, quo indicatur jam ejus ætate adjectivum illud in usu fuisse.

Sequax propria significatione apud Verg. Prop. posteriores dicitur, qui in aliquo sequendo perseverat, sed apud Plinium et æquales,

velut ap. Plin. maj., Val. Flacc. per translationem dicitur fere pro *flexibili* de ingenio hominum rerumque natura. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe atque, ut ita dicam, *sequaces* sumus Pan. 45.

Tenax, qua voce Cicero per translationem usus est fere pro parco, avaro, apud Verg. Ov. Catull. Liv. post. et proprie ponitur absolute, ut aiunt, de eo, quod firme tenet, et per translationem cum genitivo conjunctum. (Cfr. quæ in genitivo disputavimus). Ad conectendas amicitias vel *tenacissimum* vinculum morum similitudo 4, 15, 2. Tantis glebis *tenacissimum* solum adsurgit 5, 6, 10.

Hæc adjectiva propter varietatem conformationum et significationum ad nulla certa genera redigere potui. Eorum autem Plinius ipse fecisse videtur:

Hæsitabundus (ἀπ. εἰρ.) pro *hæsitante* ponitur. *Hæsitabundus:* "interrogavi, non ut tibi nocerem, sed ut Modesto" 1, 5, 13.

Prominulus pro *paulum prominente*, *eminulo*, quo vocabulo Varro eadem fere significatione usus est. Hibernum (solem) quasi invitat in porticum latam et *prominulam* 5, 6, 15.

His novam vim imposuit:

Enodis, qua voce jam Vergilius propria significatione usus est (Georg. 2, 78: "Enodes trunci"), apud Plinium per translationem ponitur de oratione æquabili leniterque fluente et polita. Scripta elegis erat fluentibus et teneris et *enodibus* 5, 17, 2.

Insiticius a Plinio per translationem ponitur fere pro aliunde *arcessito*, *adscito* de sermone græco qui opponitur patrio sermoni (latino). Neque enim conjectura eget, quid patrio sermone exprimere possis, cum hoc *insiticio* et inducto tam præclara opera perfeceris 4, 3, 5. (Varr. R. R. 2, 8, 1 propria vi subjecta voce usus est.).

Præceps, quod proprie dicitur de loco prærupto, deinde ad summum periculum significandum ursurpatur, a Plinio substantivi loco ponitur fere pro *elato*, *excelso*, *grandi*, *magnifico*. Debet enim orator efferri ac sæpe accedere ad *præceps* 9, 26, 2. Animadvertendum est tamen totam orationem esse translatam.

Saxeus. Quamquam omnes fere scriptores "ferreum" per translationem pro "duro, sensu carente" dixerunt, tamen nescio an nemo præter Plinium eadem significatione dixerit *saxeum*. *Saxeus* ferreusque es 2, 3, 7.

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Duriusculus. Hoc vocabulum deminutivum adjectivi, quod est

durus, rarissimum est. Inserit mollibus levibusque *duriusculos* quosdam (versus) 1, 16, 5. (Plin. maj.).

Enervis pro *enervato*, ut dixerunt veteres scriptores, ponitur. Visum est spectaculum non *enerve* Pan. 33. (Sen. Quint. Tac. Petr.).

Enormis pro *immenso*, *immodico*. Acri intentione dijudicandum est, inmodicum sit an grande, altum an *enorme* (int. scriptum, dictum) 9, 26, 6. (Sen. Tac. Suet. Petr. Stat.).

Illorum adjectivorum nullum videtur apud veteres scriptores inveniri.

Hæc jam apud veteres scriptores, sed aliis significationibus atque apud Plinium et æquales exstant:

Commodus apud Celsum et Quintilianum de valetudine hominis dicitur, apud Plinium de ipso homine fere pro *integro*, *sano*. Vivere filium atque etiam *commodiorem* esse simulabat 3, 16, 4. In eodem genere Klotz et Freund exempla posuerunt, qualia sunt: "Viginti argenti commodas minas" Plaut. Asin. 3, 3, 134. "Novem miscentur cyathis pocula commodis" Hor. Od. 3, 19, 12, quæ tamen eo differunt, quod in his vox proprie quodammodo usurpata est, in illo per translationem posita.

Communis. Plinius *commune habere* dixit pro eo, quod est usitatius: aliquid alicui commune est cum aliquo; aliquid inter aliquos commune est. Quid enim *commune habet* occidere et relegare? 8, 14, 13. Eam locutionem latinam esse, injuria negavit Reisig, "Vorlesungen über Latein. Sprachwissenschaft", Pag. 671. Est hæc locutio etiam ap. Sen. nonnullis locis, velut: Ben. 7, 12, 2. Ep. 5, 7 (48), 3. 9, 3 (74), 17.

Extraneus. *Extranei* dicuntur, qui non sunt ejusdem familiæ. Nullum tanti esse vectigal, quod liberos ac parentes faceret *extraneos* Pan. 37 (duobus locis). (Cels. Plin. maj. Tac. Just. Suet. Apud Ciceronem dicitur fere pro externo. "Extraneis ornamentis" Cic. Inv. 1, 22, 32. "Exercitationem forensem et extraneam" Fragm. Oec. 4 (ed. Klotz. Pag. 261). Cfr. Auct. ad Her. 3, 2, 2. "Extraneam causam." 4, 31, 42).

Gemmeus apud Ciceronem, Ovidium, alios propria significatione ponitur fere pro gemmato, ut est apud poët. et Liv. (1, 11, 8), sed apud Plinium *gemmeum* dicitur, quod tamquam gemma splendet. Quid euripus viridis et *gemmeus* (agit)? 1, 3, 1. Prata florida et *gemmea* trifolium aliasque herbas alunt 5, 6, 11.

Lacer non solum propria significatione, ut apud Lucr. Verg. Ov. Liv. Sall. (Hist. 3, 67, ed. Dietsch: "Lacerum corpus"), velut: Cernere *laceros* artus Pan. 52, sed etiam per translationem usurpatur contra consuetudinem optimorum scriptorum, additis tamen quasi ad locu-

tionem mitigandam verbis *ut ita dicam.* Sparsas atque, ut ita dicam, *laceras* gentilitates colligere Pan. 39. (Sen.).

Marcidus propria significatione apud Vitr. Ov. alios legitur, postea vero etiam per translationem positum est vocabulum fere pro *infirmo*, *languido*. Non alii *marcidi* somno comitiorum suorum nuntios opperiebantur? Pan. 63, (Sen. Tac.. Val. Max., Stat.).

Nudus. Nuda verba dixit verba singularum rerum propria ac turpitudinem rei quasi mitigans lenitate verbi vel per euphemismum, ut aiunt, posuit pro obscenis. Erit eruditionis tuæ cogitare summos illos viros non modo lascivia rerum sed ne verbis quidem *nudis* abstinuisse 4, 14, 4. (Quint. 8, 3, 38. "Si obscena nudis nominibus enuntientur").

Obvius pro *comi*, *affabili* dicitur. Est *obvius* plenusque humanitate 1, 10, 2. De rebus dicitur fere pro *prompto*, *facili*, *voluntario*. Vereor ut sit satis congruens eos etiam ad quos ex munere nostro nihil pertinet præter exemplum velut *obvia* adsentatione conquirere 1, 8, 17. (Quint. Tac.).

Paganus. Hoc vocabulum substantivi loco positum proprie significat incolam pagi, rusticum (Cfr. Cic. Dom. 28, 74. Auct. Bell. Alex. 36), sed imperatorum ætate "paganus" dici coeptus est, quisquis militia vacuus erat, opponiturque militibus. Et milites et *pagani* ei testimonia pertribuerunt 10, 86 (18), 2. (Tac. Suet. Juv.). Per translationem positum est fere pro *rustico*, *agresti*. Etiam in litteris nostris plures cultu *pagano* 7, 25, 6. (Cfr. "Semipaganus ad sacra vatum carmen affero nostrum" Pers. Prol. 6).

Paria facere, quæ locutio a rationibus conficiendis ducta est, apud Plinium per translationem et absolute, ut aiunt, ponitur et cum particulis *cum* et *pro* conjungitur. Non *feci* tamen *paria* 7, 19, 10. Quod si quando *cum* influentibus negotiis *paria fecisti*, instar refectionis existimas mutationem laboris Pan. 81. Solus ad hoc ævi *pro* munere tanto *paria* accipiendo *fecisti* Pan. 6. (Plin. maj. Sen.) Seneca Ep. 2, 7 (19), 10 (ed. Haase) eadem significatione dixit: "Parem facere rationem" [1]). Ciceronis ætate dicebatur fere: "Par pari respondere" (Cfr. Att. 6, 1, 22. 16, 7, 6). "Par pro pari referre." (Cfr. Ter. Eun. 3, 1, 55).

Romanus. Quod Plinius dixit linguam *romanam* pro lingua *latina*, id quidem satis rarum est et a veterum consuetudine loquendi abhorrere videtur. Sine isdem quibus lingua *Romana* spatiis pervagentur (libri) 2, 10, 2. (Similiter Quintilianus dixit: "Sermonem Romanum" I. O. 1, 5, 58. "Romanos oratores" 10, 1, 38. Cfr. 8, 6, 30).

---

[1]) Cfr. Rosengren, "De Elocutione Senecæ", Pag. 37. Upsaliæ.

Umbraticus pro *umbratili* dicitur, additis ad locutionem mitigandam verbis *ut ita dicam.* Nisi forte volumus scholasticas tibi atque, ut ita dicam, *umbraticas* litteras mittere 9, 2, 3. (Sen. Petr. Præterea jam Plaut. Curc. 4, 3, 24 ignavum hominem dixit "umbraticum", et apud Quint. I. O. 1, 2, 18 legitur: "Umbratica vita").

Jam apud superiores scriptores iisdem fere significationibus quibus apud Plinium et æquales, sed rarius inveniuntur:

Albidus pro *albo* vox satis rara est. Color cærulo *albidior* 8, 20, 4, (Ov. Cels.).

Aereus pro *aëneo*, quod usitatius est. Istæ quidem *æreæ* et paucæ (statuæ) manent manebuntque Pan. 52. (Vitr. Verg. Hor. Plin. maj. Suet.). Forsitan Plinius hanc vocem elegerit propter soni similitudinem vocabuli *aurei*, cui opponitur.

Aureus. Quemadmodum Cicero per translationem dixit "aureolum libellum" (Acad. pr. 2, 44, 133), "aureolam oratiunculam" (Nat. Deor. 3, 17, 43), sic poëtæ fere omnes per translationem usi sunt *aurei* vocabulo pro *pulchro*, *venusto*, tal., eosque secutus Plinius per irrisionem dixit: Accipe *auream* fabulam 2, 20, 1. (Cfr. Cicero Rosc. Am. 43, 124. "Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni").

Benignus de rebus dicitur pro *largo*, *copioso*, *abundante*. Velut rivi ex illo *benignissimo* fonte decurrunt 3, 20, 12. (Ov. Hor. Tibull. Sen. al.). Eodem modo *benigne* adverbium positum est: Sol *benignissime* præsto est 5, 6, 26, quem usum ne optimi quidem scriptores aspernati sunt.

Bibulus. Bibulæ dicuntur res, quæ humorem facile sorbent. Si scabræ *bibulæve* sint (chartæ) 8, 15, 2. (Verg. Ov. Col.).

Canus. Canum poëtarum more dixit mare. *Canum* circa mare 6, 31, 17.

Conspicuus pro *insigni*, *illustri*. Pater quoque et patruus illustri laude *conspicui* 3, 3, 1. (Ov. Liv. Tibull. Tac. Suet.).

Crudus propria significatione raro usurpatur. *Crudum* (i. e. *recens*) adhuc vulnus medentium manus reformidat 5, 16, 11. (Ov. Hor. post.).

Curvus pro *adunco*, *inflexo* apud omnes fere poëtas et apud Sall. (Hist. 4, 20, ed. Dietsch) legitur [1]). Apud Plin. translatam vim habet. Invenimus qui *curva* corrigeret 5, 9 (21), 6. Num præterquam his locis apud solutæ orationis scriptores inveniatur, dubito.

Decens pro *pulchro*, *decoro* ponitur. Credo *decentes* esse servos 1, 21, 2. (Ov. Hor. Prop. post.). Adverbio *decenter*, quod 5, 19, 3. 6, 21, 5 legitur, etiam Ciceronem (Cæc. 26, 74) usum esse in lexicis

---

[1]) Sallustii locum Krebs s. v. omisit.

indicatur, sed ibi nunc legitur "diligentissime." (Ap. Ov. Hor. Quint. al. legitur).

Declivis per translationem ponitur. Mulier ætate *declivis* 8, 18, 8. (Ov. Met. 15, 227).

Dimidius. Omnibus notum est hoc adjectivum nisi cum substantivo, quod est pars, conjungi non solere apud optimos scriptores, sed argentea ætate et nonnullis locis antea etiam cum aliis substantivis jungebatur. Invaluit consuetudo binas vel singulas clepsydras, interdum etiam *dimidias*, et dandi et petendi 6, 2, 5. (Cfr. Nep. Eum. 9, 1. "Dimidium spatium." Liv. 4, 2, 6. "Dimidius patrum, dimidius plebis." Plin. maj. Mart. Juv. Cfr. etiam, quæ de hac re disputavit Gell. 3, 14).

Dissonus pro *discrepante* dicitur. Magni undique *dissonique* clamores 2, 20, 4. Cfr. Pan. 56. (Liv. Plin. maj. Col. Cic. Fragm. Oec. 6, ed. Klotz Pag. 262. Non optimo jure igitur Freund negavit, ante Augusteam ætatem inveniri).

Exanimis pro *exanimato* dicitur. Cum (eum) *exanimem* putarent, abjiciunt 3, 14, 2. (Verg. Ov. Liv. Hor. post.).

Festus apud veteres scriptores non solet conjungi nisi cum vocabulo "diei", sed apud poëtas, velut apud Verg. Ov. Hor. et argenteæ ætatis scriptores multo latius patet usus vocabuli. Reliqua pars tecti *festis* clamoribus personat 2, 17, 24.

Fortis de firmitate corporis et valetudinis usurpatur. Contingat modo te filiamque tuam *fortes* invenire! 4, 1, 7. Cfr. 4, 21, 4. 6, 4, 3. 7, 23, 1. 10, 1, 2. 10, 88 (89). (Hic usus maxime poëticus est, sed Cfr. Cic. d. Or. 3, 59, 220).

Gracilis. *Gracilis* contra morem optimorum scriptorum dicitur de oratione fere pro *subtili*, *tenui*, præeuntibus Vergilio et Ovidio. Præfationes tersæ, *graciles*, dulces 2, 3, 1. (Quint.). Propria quadam significatione dicitur: Scripseras *graciles* istic vindemias esse 8, 15, 1. 9, 20, 2.

Hosticus pro genitivo *hostium*, qui usitatior est, apud Plaut. Varr. Ov. Liv. legitur atque apud Plinium, qui Livium secutus est, *hosticum* substantivi loco ponitur pro *agro hostium*. Ex *hostico* raptæ messes Pan. 29.

Ingens. Quia olim in dubium vocatum est, num latine diceretur "ingens meritum", fortasse non est alienum commemorare, illam locutionem duobus locis apud Plinium exstare. Macte uterque *ingenti* in rempublicam *merito* Pan. 89. Cfr. Pan. 36 [1]). (Liv. post.).

---

[1]) Cfr. quæ de hoc usu disputarunt Krebs, l. l., et Rosengren, l. l. Pag. 36, Ann. 5.

Lassus. Num hæc vox apud veteres solutæ orationis scriptores inveniatur incertum est, nam apud Sall. (Jug. 53, 5, ed. Dietsch) nunc legitur: "Opere castrorum et proelio fessi "lætique" victoria erant"; sed apud poëtas, velut ap. Plaut. Ter. Lucr. Ov. et scriptores, qui post Augustum fuerunt, velut apud Sen. Just. al. satis frequens est, maxime quidem de hominibus posita, sed etiam de rebus inanimis. *Lasso* mihi subveniunt 9, 36, 5. Accipit auras spatio ipso *lassas* et infractas 5, 6, 14. *Lassa* et effeta natura nihil laudabile parit 6, 21, 1.

Musteus. Hæc vox prisca, qua propria significatione Cato et Varro usi sunt, non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse pro *recente*. Sed alia forma Næv. ap. Non. 136, 6 (ed. Gerlach et Roth) legitur: "Utrum est melius: virginemne an viduam uxorem ducere? Virginem, si musta est." Non dubito cupere te legere hunc adhuc *musteum* librum 8, 21, 6. (Plin. maj.).

Obnoxius eadem significatione, qua *expositus*, maxime apud poëtas et scriptores, qui post Augustum fuerunt, legitur. Vides quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus *obnoxii* 3, 14, 5. (Ov. Tibull. Hor. Sen. Plin. maj. Tac. Suet. Phædr. Cfr. Liv. 40, 45, 1. "Arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deussit cunctas (hiems)."

Parcus pro *exiguo*, *modico*, *parvo* dicitur. *Parcus* et brevis somnus Pan. 49. Moderatio est eligere *parcissimos* (honores) Pan. 55. (Verg. Ov. Hor. Prop. post.).

Pinguis, præeunte Ovidio, dicitur eadem fere significatione, qua *lætus*, *gratus*. Te in alto isto *pinguique* secessu studiis adseris 1, 3, 3. Altius ibi otium et *pinguius* 5, 6, 45. 9, 3, 1. *Pinguem* vitam 7, 26, 3.

Prægravis. Hæc vox satis rara, qua propria significatione Ovidius et argenteæ ætatis scriptorum nonnulli usi sunt, apud Plinium per translationem ponitur. Consulatum ut *prægravem* recusasti Pan. 57. (Plin. maj. Tac. Varr. ap. Non. 440, 14 in editione Gerlachii et Rothii legitur "graves", quamquam alii legunt "prægraves."

Promiscuus uno loco apud Sallustium Cat. 12, 2, sæpius apud Livium et Tacitum atque jam apud Plautum legitur. (Adfirmabant) morem sibi fuisse coëundi ad capiendum cibum, *promiscuum* tamen et innoxium 10, 96 (97), 7.

Querulus pro *queribundo* dicitur. Multis rusticorum libellis et *querulis* inquietor 9, 15, 1. (Verg. Ov. Hor. Prop. post.).

Rigidus per translationem dicitur pro *severo*, *aspero*, *tristi*, tal. Sententiam Macri ut *rigidam* duramque reprehendunt 4, 9, 19. (Ov. Hor. Liv. 39, 40, 10. Sen. Ep. 1, 11, 10. 2, 9 (21), 3. 11, 2 (81), 4. Tac. Ann. 16, 22. Val. Max. 6, 3, 6. Horum auctorum nonnulli in lexicis omissi sunt.

Scaber fere pro *aspero* dicitur. Si *scabræ* bibulæve sint (chartæ) 8, 15, 2. (Poët. ap. Cic. Tusc. 3, 12, 26. Verg. Ov. Hor. post. De animalibus jam Cat. et Plaut. vocabulo usi sunt).

Sinister pro *malevolo, perverso, pravo.* Nemo apud me quemquam *sinistris* sermonibus carpit 1, 9, 5. Ad alios hanc *sinistram* diligentiam conferant 7, 28, 3. (Verg. Ov. Prop. Tac. Curt. Val. Flacc. [1]). Eodem modo *sinistre* adverbium positum est. Non *sinistre* constitutum est Pan. 45. (Hor. Tac.).

Sublimis de oratione pro *grandi, excelso* dicitur. Est opus *sublime* 4, 20, 2. Scripta elegis erat *sublimibus*, ut poposcit locus 5, 17, 2. Cfr. 9, 26, 5. (Propria significatione sæpe Livius usus est. Per translationem Varro R. R. 2, 4, 9 dicit: "Antiqui reges ac sublimes viri." Cfr. Videor intueri ipsum te *sublimem* instantemque curru Pan. 17. De grandi oratione maxime Quintil. usus est, sed etiam Ov. Am. 3, 1, 39. Etiam ceteris significationibus poëtæ usi sunt. Forma, quæ est "sublimus" Att. ap. Non. 489, 8. Sall. Hist. 3, 15 (ed. Dietsch). Lucr. 1, 341 legitur. Cicero "sublime" adverbio usus est. Cfr. Kühner ad Cic. Tusc. 1, 17, 40).

Supervacuus pro *supervacaneo.* Providendum est ne te hæc pars sarcinarum tamquam *supervacua* offendat 4, 26, 2. At quædam *supervacua* dicuntur 6, 2, 8. 7, 17, 5. 9, 19, 6. (Ov. Hor. post. Livius 2, 37, 8 dixit: "Ex supervacuo").

Temporarius. Hoc vocabulum, quod pro *brevi, ad tempus* ponitur, nemini veterum scriptorum, excepto Nep. (Att. 11, 3), in usu fuisse videtur. Erant nonnulli quorum *temporaria* gravitas ridebatur 6, 13, 5. Cfr. 8, 14, 13. Non *temporarium* et subitum est quod uterque collegæ consulatu gaudet Pan. 91. (Sen. Plin. maj. Quint. Curt.).

Terrificus pro *terribili, terrorem injiciente* apud neminem alium solutæ orationis scriptorum videtur exstare. Lymphati *terrificis* vaticinationibus et sua et aliena mala ludificabantur 6, 20, 19. (Lucr. Verg. Ov.).

Testaceus. Testaceum dicitur, quod e testa factum est. Aliqua pars *testaceo* opere agenda erit 10, 37 (46), 2. (Vitr. Col. Pallad.).

Tumidus pro *inflato, elato* de sermone. Visus es mihi adnotasse quædam ut *tumida*, quæ ego sublimia arbitrabar 9, 26, 5. 7, 12, 4. [2]). (Quint. Tac. Sen. Cfr. Liv. 45, 23, 16. "Non negaverim, nostrorum tumidiorem esse sermonem." Sed forsitan h. l. significetur "superbia" verborum (Cfr. ibid. § 18), qua significatione sæpissime usi sunt poëtæ, velut Verg. Ov. Hor.).

[1]) Krebs injuria contendit, Augustum initio testamenti voce illa significatione usum esse Suet. Tib. 23; nam ibi certe in editione Rothii non legitur.

[2]) Cfr. Seyffert, Pal. Cic. Pag. 41.

Vetustus pro *sene, grandi natu.* Cui parens non erat, maximus quisque et *vetustissimus* pro parente 8, 14, 6. Cfr. Quisquis paulo *vetustior* miles Pan. 14. (Cfr. Liv. 23, 22, 10. Tac.).

"*Viva vox.*" His verbis Plinius latine reddidit ζῶσαν φωνήν additis verbis, *ut vulgo dicitur*, quibus indicatur, locutionem in proverbii consuetudinem venisse. Multo magis, ut vulgo dicitur, *viva vox* adficit 2, 3, 9. (Quint. Sen. Cfr. Cic. Agr. 2, 2, 4. "Non tabellam vindicem tacitæ libertatis, sed "vocem vivam" præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis").

Vividus pro *vigente, vegeto, alacri.* Agile et *vividum* corpus 3, 1, 10. *Vividos* animos non contundis ac deprimis Pan. 44. (Lucr. Verg. Ov. post.).

Vitreus pro *limpido, perlucido.* Fons patescit purus et *vitreus* 8, 8, 2. (Verg. Ov. Hor. Varr. ap. Non. 448, 28. 536, 32 (ed. Gerlach et Roth).

Sæpissime Adjectiva pro substantivis ponuntur, cujus consuetudinis innumerabilia exempla in unaquaque prope pagina sunt. Ex adjectivis autem, quæ substantivi naturam induerunt, hæc fere afferenda putavi, quibus Plinius primus usus est:

Communia. Quem ad modum sæpe "commune" in singulari numero addito nomine populi vel terræ cujusdam (velut: "Commune Siciliæ" Cic. Verr. 2, 46, 114, al.) pro "re publica" ponitur, sic Plinius *communia* in plurali numero absolute, ut aiunt, eadem fere significatione posuit, quod num quis præter eum fecerit, dubito. Amore *communium* soles emendari cupere quæ jam corrigere difficile est 6, 2, 9.

Ejecta pro *projecturis* usurpavit. Duo baptisteria velut *ejecta* sinuantur 2, 17, 11. (Klotz: "Vorsprünge").

Subterraneum dixit sepulcrum virginis vestalis incesti damnatæ. Cum in illud *subterraneum* demitteretur 4, 11, 9. Nonnulli sine causa addiderunt *cubiculum.*

Hæc ei cum æqualibus communia sunt:

Annuum. Annua dicebantur alimenta publicis servis data aliisque, qui consimilibus vitæ conditionibus utebantur. Ut publici servi *annua* accipiunt 10, 31 (40), 2. (Suet. Dig.).

Natales. Hoc vocabulum in plurali numero ponitur de *genere, origine* alicujus. Mulier *natalibus* clara 8, 18, 8. Cfr. 3, 20, 6. 6, 23, 3. 10, 4 (3), 5. 10, 12 (7), 1. (Sen. Plin. maj. Tac. Suet. Juv.). Præterea commemoranda est locutio illa *natalibus suis restitui*, qua utebantur de libertinis, qui beneficio principis in numerum ingenuorum

relati sunt, i. e. quibus eadem, quæ ingenuis jura sunt data. Postulantibus quibusdam ut de agnoscendis liberis *restituendisque* natalibus cognoscerem 10, 72 (77). (Dig.).

Primipilaris dicebatur, qui fuerat centurio primi pili. Nymphidium Lupum primipilarem commilitonem habui 10, 87 (19), 1. (Quint. Tac. Suet.).

Propositum argentea ætate omnino induit naturam substantivi, ita ut et cum pronominibus conjungeretur et genitivum regeret, id quod Krebs docuit a consuetudine optimorum scriptorum abhorrere. Non dubie *hujus propositi mei* minor laus 5, 13 (14), 10. 10, 43 (52), 2. Pan. 45. 95. Non habeo *propositum* illum *reprehendendi* 9, 19, 7. (Sen. Quint. Phædr.).

Salarium de mercede ejus dicitur, qui munere functus est. Scribam ante legitimum *salarii* tempus amisisset 4, 12, 2. 3. (Sen. Plin. maj. Tac. Suet.).

Subjectus fere pro *cive*, *imperio alicujus parente* dicitur. Neque enim ut alia *subjectis*, ita amor imperatur Pan. 85. (Plin. maj. Col.).

Verenda τὰ αἰδοῖα dixit. Alius, foedum dictu, *verenda* contundit 3, 14, 2. (Plin. maj.). Eadem significatione dixit *velanda* 6, 24, 3.

Jam apud superiores scriptores iisdem significationibus quibus apud Plinium et æquales, sed rarius inveniuntur:

Arcanum substantivi loco cum genitivo conjunctum ponitur de re arcana, tacenda. Ingens deorum prolaturus *arcanum* Pan. 23. (Verg. Hor. Liv. 40, 23, 1. 41, 24, 3. post.).

Ausum substantivi loco pro *audaci facinore*. Videor intueri immanibus *ausis* barbarorum onusta fercula Pan. 17 [1]). (Verg. Ov. Plin. maj. Tac. Ann. 13, 47).

Mortales pro *hominibus* posuit. Insitum *mortalibus* studium magna et inusitata noscendi 2, 11, 10. Fata *mortalium* Pan. 80. (Enn. Varr. Hor. Od. 1, 3, 37. Sall. In singulari numero posuerunt Lucr. 4, 1178. Ov. Met. 9, 16, al. Plaut. Poen. 5, 2, 147, al. Cicero addere solet vocabula, quæ sunt "omnes, multi." Cæsari vox inusitata fuisse videtur).

Nubilus pro *nebuloso*, *nubibus obducto* dicitur. Si dies *nubilus* 5, 6, 25. 6, 20, 14. In plurali numero *nubila* pro nubibus posuit. Frustra Aegyptus *nubila* optavit Pan. 30. [2]). (Verg. Ov. Hor. Tibull. Plin. maj.). In singulari numero substantivi loco positum *nubilum* significat idem, quod "coelum nebulosum." Venti qui *nubilum* inducunt 2, 17, 7. (Plin. maj. Quint. Suet.).

---

[1]) Krebs igitur s. v. non omnino recte disputavit.

[2]) Krebs minus recte de hac voce sicut de aliis permuls disputavit.

Priores pro *majoribus* dixit. Veniebat in mentem *priores* nostros etiam singulorum hospitum injurias voluntariis accusationibus executos 3, 4, 5. 1, 11, 1, (Verg. Ov. Vell. Sen. Plin. maj. Col.).

Secretum dicitur 1) de loco *secreto*, *remoto*. Quam dulce *secretum* 3, 1, 6. Cfr. 2, 17, 22. 9, 33, 10. Pan. 48. (Verg. Ov. Hor. Plin. maj. Quint. Tac. Phædr. Liv. 23, 8, 8. 30, 14, 4, al.). 2) de *copia secreto cum aliquo colloquendi*. Illuc persecutus *secretum* petit 1, 5, 11. Cfr. Pan. 53. (Tac. Suet.). 3) *de re clandestina, occultanda*. Uxor omnis *secreti* capacissima 1, 12, 7. Pan. 68. (Liv. 34, 36, 4. Sen. Quint. Tac. Suet. Petr.).

Viridia. Ambulatio pressis varieque tonsis *viridibus* inclusa 5, 6, 17. 38. 40. 5, 18, 1. (Vitr. Sen. Col. Phædr.).

Adjectiva in nominativo et accusativo substantivorum loco posita apud Plinium tam crebra sunt, ut supervacaneum sit exempla afferre. Sed etiam in ablativo sing. num. neutr. gen. adjectiva et pronomina pro substantivis posuit, id quod rarum est apud meliores solutæ orationis scriptores [1]), quam ob causam illius consuetudinis dicendi nonnulla afferam exempla:

A quibus hic optimus separari non *alio* (i. e. alia re) magis poterat quam diversitate censendi 6, 27, 3. Non *alio* tamen magis deum et facis et probas, quam quod ipse talis es Pan. 11. Neque enim *alio* magis approbatur animi tui magnitudo Pan. 89. Cfr. Superscripto *alio* 7, 12, 3. Sic Seneca locutus est Ben. 4, 18, 1. Nat. Qu. 6, 16, 2, similiterque *nullo* pro *nulla re* dixerunt Quint. Tac. Sen. [2]). Erit autem opus *modico* 5, 19, 8. Nonnullus et in *illo* labor, ut cet. 8, 4, 3. Quæris fortasse, *quo* commotus hæc scribam 8, 22, 3.

In plurali numero sæpe apud veteres quoque scriptores adjectiva neutr. gen. ponuntur pro substantivis etiam in casibus obliquis, qui vocantur [3]). Multo autem sæpius id evenit apud scriptores argenteæ ætatis, velut: Plerisque 1, 20, 3. (Cfr. Cic. Am. 4, 13. "In plerisque"). Subitis 3, 9, 16. Multis 6, 5, 4. Acribus illis et erectis 6, 33, 9. Electis 7, 9, 3. Proximorum incuriosi 8, 20, 1. Altis et excelsis 9, 26, 2. Quibus 10, 31 (40), 1. In *masculino genere* tales locutiones sunt crebriores, quam ut opus sit exempla afferre.

Etiam formæ participii futuri et activi et passivi substantive ponuntur, id quod rarius est [4]).

---

[1]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 66.

[2]) Cfr. Dræger, "Über Syntax und Stil des Tacitus", Pag. 4, Leipzig 1868.

[3]) Cfr. Nägelbach, l. l. Pag. 75, 2.

[4]) Cfr. Nägelbach, l. l. Pag. 88, 2.

Eventura somniare 1, 18, 2. Silenda 1, 8, 15. Ibid. Laudanda. (Cfr. Liv. 39, 10, 5. "Silenda enuntiasset").

Multa adjectiva et pronomina neutr. gen. substantive posita cum genitivo conjunguntur [1]):

Idem potestatis idemque regni 1, 7, 1. Cfr. 3, 18, 3. Pan. 77. Habebat hoc moris 1, 12, 7. In hoc lubrico ætatis 3, 3, 4. Quod reliquum temporis 3, 5, 9. Miseni quod procurrit 6, 20, 11. Exiguum temporis medium 7, 27, 13. Ad hoc ævi Pan. 6. Hoc necessitudinis abruptum Pan. 39. Tantum illud nostri dedecoris Pan. 82. (Cfr. Aliquid novi operis 1, 8, 2). Eum autem sæpius quam superiores scriptores vocabula, quæ sunt *multum* (cfr. 1, 10, 7. 3, 19, 4. 4, 25, 5. 10, 4 (3), 5), *plurimum* (cfr. 1, 10, 6. 1, 14, 7), *tantum* (cfr. 4, 3, 2. 6, 7, 3), *quantum* (cfr. 3, 9, 1. 7, 25, 1), substantive posita cum genitivo conjunxisse, vix opus est me commemorare.

In plurali numero posita adjectiva cum genitivo conjunguntur:

Incerta fortunæ 3, 19, 4. (Cfr. Liv. 30, 15, 4. 30, 30, 11). Montium abrupta 8, 4, 2. Plana civitatis 10, 37 (46), 2. Usurpata collium Pan. 30.

Ejusmodi locutiones non solum apud poëtas, velut apud Lucr. Verg. alios, sed etiam apud meliores solutæ orationis scriptores, velut apud Livium, qui quasi transitum ad argenteam latinitatem paravit, et Sallustium satis frequentes sunt, atque etiam Cicero et Cæsar nonnullis locis similiter sunt locuti [2]).

Sæpissime autem adjectiva in accusativo aut ablativo neutr. gen. cum præpositionibus conjuncta et adverbialiter, ut aiunt, et substantive apud omnes scriptores ponuntur [3]), quarum locutionum hæc fere exempla minus usitata putavi annotanda:

Huic quadringentorum milium paulo amplius tertiam partem *ex adventicio* denegem 5, 7, 3. (Sen.). Probati *ex æquo* [4]) Pan. 83. Apud græcos est quiddam quamvis *ex diverso* [4]) non tamen omnino dissimile 2, 19, 7. Audivi *ex diverso* agentes juvenes 6, 11, 1. *Ex edito* desiliens aqua 5, 6, 24. (Plin. maj.). Recalescere *ex integro* [4]) 7, 9, 6. Cfr. 3, 9, 35. 10, 56 (64), 4. (Usitatius est "ab, de integro", quod a veteribus scriptoribus semper usurpatur). Est arduum similitudinem effingere *ex vero* 4, 28, 3 [4]). — Tot gaudia dies

---

[1]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 74. Dræger, l. l. Pag. 25.
[2]) Cfr. præter auctores, quos supra laudavi, Kühnast, "Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax", Pag. 45, sequ., qui copiose de hac re disputavit.
[3]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 66, sequ.
[4]) Cfr. Hand. Turs. s. v. *ex*, Pag. 654, sequ.

unus *in adversa* convertit 8, 23, 7. (Cfr. Quint. I. O. 12, 10, 78. Usitatius est "in adversum"). (Aqua) expulsa *in altum* in se cadit 5, 6, 37. 6, 16, 6. (Liv.) Quos *in æternum* repressisti Pan. 35. (Liv. Quint). *In commune* omnes loquebantur 4, 22, 6. 6, 16, 15 [1]). Quæ (res) *in confessum* venit 10, 81 (85), 8. (Cfr. Quint. I. O. 5, 14, 28: "Ad confessum", et Hand. Turs. s. v. *ex*, Pag. 656). Contrario nisu in *diversa* tendentes (naves) 8, 8, 3, *In infinitum* epistulam extendam 5, 14 (15), 7. (Plin. maj. Quint.). Quos non *in præsens* tantum, sed *in æternum* repressisti Pan. 35 [2]). Non ut *in præteritum* (serum enim), verum ut in futurum erudiar 8, 14, 1. Cfr. 8, 2, 7. Pan. 40. 53. (Plin. maj. Quint. Suet. [3]). Faveo orationi quam nuper *in publicum* dedi 8, 3, 2. Intermissum jam diu morem *in publicum* consulendi reduxissem 9, 13, 21 [4]). In commune consultant, intra tecta subsistant an *in aperto* vagentur 6, 16, 15. (Lucr. Liv. post. Per translationem Sall. vocabulo usus est). Cryptoporticus in *edito* posita 5, 6, 29. Pan. 61. (Suet.). In *obscuro* est an didiceris 8, 14, 11. (Cels.). Acanthus *in plano* mollis 5, 6, 16 (Ov. Liv. post.). Multa lectio *in subitis* elucet 2, 3, 2. (Quint. et Tac. casus obliquos, qui vocantur, substantive posuerunt. Cfr. de re universa Nägelsbach, l. l. Pag. 64. sequ.).

Raro adjectiva pro adverbiis ponuntur: Claudium Cæsarem ferunt *subitum* recitanti *inopinatumque* venisse 1, 13, 3. *Frequens* mihi disputatio est cum quodam docto homine 1, 20, 1. Longius abii, *libens* tamen 4, 22, 7. *Rarissimus* emptor inveniebatur 10, 96 (97), 10. Sæpe mecum *tacitus* agitavi Pan. 4.

Jam si ad formas adjectivorum animum advertimus, reperiemus, præter consuetudinem optimorum scriptorum nonnulla adjectiva maximeque participia per gradus esse declinata. Rariores autem formas *comparativi gradus* has fere annotandas putavi [5]).

Absolutior 2, 5, 2. 4, 27, 2. 3, 10, 6. Adductior 1, 16, 4. Civilior 8, 24, 7. Cunctantior 2, 16, 4. 9, 13, 6. Expressior 5, 14 (15), 3. Excusatior 4, 5, 4. 8, 14, 11. Juvenior 4, 8, 5. Obligatior

---

[1]) Cfr. Hand. Turs., s. v. *in* Pag. 330.
[2]) Cfr. Hand. Turs., s. v. *in*, Pag. 337. Nägelsbach, l. l. Pag. 70.
[3]) Cfr. Hand. Turs., s. v. *in* Pag. 338.
[4]) Cfr. Hand. Turs., s. v. *in* Pag. 333.
[5]) Si quis hanc rem diligentius cognoscere velit, legat Neue, l. l., Zweiter Theil, Pag. 86, et Teipel, "Comparation der Participien", Jahn, "Neue Jahrbücher für Philologie", 1849. Suppl.

8, 2, 8. Reverentior 6, 17, 5. 8, 21, 5. Pan. 25. 69. Sonantior 6, 16, 13. 7, 12, 4.

Superlativi gradus:

Absolutissimus 1, 20, 10. 6, 17, 2. 8, 3, 2. Abruptissimus 9, 39, 5. Auspicatissimus 10, 17 (28), 2. Consummatissimus 2, 7, 6. Convenientissimus 3, 18, 1. 10, 3 (20), 2. 10, 41 (50), 1. Pan. 87. Emendatissimus 8, 22, 2. Exactissimus 8, 23, 5. Exiguissimus 7, 24, 7. Factiosissimus 4, 9, 5. Indulgentissimus 10, 10 (5), 2. Pan. 38. 90. Meritissimus 5, 14 (15), 3. Reverentissimus 10, 86 (18), 1.

Etiam adverbia nonnulla per gradus declinata mihi visa sunt afferenda:

Civilius Pan. 29. Curatius 1, 1, 1. Custoditius 9, 26, 12. Efficacius 6, 6, 8. Effusius 1, 20, 20. Eloquentius 3, 18, 6. Excusatius 9, 21, 3. Exultantius 3, 18 10 Inpatientius 6, 1, 1. Instantius 6, 20, 10. Securius 2, 17, 6. Sollicitius 1, 4, 2. 1, 19, 4. 7, 17, 8. Efficacissime 2, 13, 11. Eloquentissime 2, 11, 17. 6, 21, 4. Inpatientissime 9, 22, 2. Obsequentissime 7, 24, 3. Perseverantissime 4, 21, 3. Promptissime 4, 17, 11. Reverentissime 10, 21 (32).

Restat ut commemorem, Plinium ad vim comparativi gradus augendam adverbium, quod est *longe*, pro *multo*, quod apud Ciceronem et Cæsarem usurpatur, posuisse. Fatebatur *longe* melius eadem illa pronuntiasse ipsum 2, 3, 10. Cfr. 7, 18, 2. 8, 14, 24. 8, 18, 1. 8, 24, 6. 10, 39 (48), 4. Sic præter æquales Plinii, et qui postea fuerunt, locuti sunt poëtæ[1]) et Livius. Contra consuetudinem autem veterum scriptorum ponitur adverbium *adhuc* pro *etiam* ad comparativi vim augendam. Cum ipse ardentissime diligas, *adhuc* tamen ardentius diligaris Pan. 85[2]). *Quamlibet* particula cum adjectivo l. adverbio conjuncta usurpatur ad vim vocis efferendam. Adnisi certe sumus ut *quamlibet* diversa genera lectorum per plures dicendi species teneremus 2, 5, 6. Cfr. 2, 14, 6. 3, 4, 6. 3, 9, 16. 3, 16, 12. 7, 17, 8. 10, 96 (97), 2. Pan. 70. Sic præter scriptores, qui post Augustum fuerunt, velut Plin. maj. Quint. Suet. Vesp. 5, soli poëtæ, velut Lucr. Ov. locuti videntur esse. Neque silentio prætereundum est, particulam *quamvis* nonnullis locis apud Plinium conjungi cum superlativo, id quod apud ipsum Ciceronem etiamnunc legitur d. Or. 3, 26, 103: "Quamvis vitiosissimus

[1]) Cfr. Hand. Turs. s. v. Pag. 551, qui Livium omisit. Apud Livium legitur pluribus locis, ut ostendit Krebs, ed. IV Cur. Allgayer.

[2]) Cfr. de hoc vocabuli usu Hand. Turs. s. v. Pag. 165, qui ostendit, sæpius sic locutos esse Plinii æquales, in primis Quintilianum.

orator", quem locum alii putant corruptum. *Quamvis* ipse sis continentissimus 6, 32, 1. Cfr. 5, 8, 13. 6, 16, 2. 9, 17, 1. 10, 51 (12), 2. (Quint. Col.), Cum comparativo conjunctum est. In aliis *quamvis* auditu gravioribus 4, 9, 5.

Præteriens moneo, adjectivum, quod est *plurimum*, in singulari numero more poëtarum positum esse, id quod certe rarum est apud meliores solutæ orationis scriptores, si formulam illam "salutem plurimam dicere" exceperis. Cfr. tamen Cic. Verr. 2, 72, 176: "Plurimam vestem, plurimam stragulam." (Balineum) *plurimus* sol implet et circumit 1, 3, 1. 2, 17, 10. Pan. 48. Adde ad auctores, quos Freund in lexico laudavit, Sen. Ep. 7, 5 (67), 2. "Cum libellis mihi plurimus sermo est."

De Numeralibus.

In usu numeralium nihil annotandum mihi visum est, nisi Plinium dixisse *decem* et *octo* pro *duodeviginti* 8, 18, 5. *triginta novem* 8, 5, 1; neque vero id omnino est inusitatum apud aureæ ætatis scriptores, velut ap. Cæs. B. G. 4, 19, 4. Liv. 9, 33, 4, al.[1]); ac *viginti* et *duos* 10, 39 (48), 4 pro *duobus* et *viginti*, id quod rarius quidem evenit, quamquam exempla ejusmodi locutionum sunt etiam apud optimos scriptores, velut ap. Cic. Verr. 4, 55, 123. Sen. 9, 30. Liv. 10, 15, 4. 21, 22, 4, al.[2]). Ne id quidem silentio prætereundum est Plinium semper *mille*, nusquam *sescenta* posuisse ad infinitum numerum significandum. Alia *mille* non minus lauta 1, 15, 2. 1, 20, 10. 9, 26, 9. Cfr. Liv. 2, 28, 3. 3, 14, 4. (Cic. Off. 1, 31, 113 aliisque nonnullis locis sic usurpavit *millies*[3]).

De Pronominibus.

In usu pronominum non multum Plinius discrepat a scriptoribus aureæ ætatis:

Pronominis reflexivi genitivus, qui est *sui*, dicitur pro aliquo casu *pronominis possessivi*, quod est *suus*[4]), more poëtarum et scriptorum, qui post Augustum fuerunt. Montes summa *sui* parte procera nemora et antiqua habent 5, 6, 7. Cfr. 5, 6, 15. Magna *sui* parte Pan. 52. Ipsa *sui* copia et quasi pondere inpellitur 8, 8, 3. Qui-

[1]) Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 108.

[2]) Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 109.

[3]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre", Dritte Auflage, § 70, Not.

[4]) Cfr. quæ de hac re disputavit Madvig ad Cic. Fin. 2, 23, 76.

busdam *sui* partibus vetustate truncatum est 9, 39, 4. Cfr. Triduum totum senatus sub exemplo *tui* sedit Pan. 76.

Pronomina *suus* et *quisque* ita conjunguntur, ut in unam quasi notionem ambo confluxisse videantur. Tu memineris *sui cujusque* generis auctores diligenter eligere 7, 9, 15. Omnibus optimis in *sua cujusque* laude præstantior Pan. 88 [1]).

Non quisquam pro eo, quod est *nemo*, *haud quisquam*, quatenus apud meliores solutæ orationis scriptores in usu fuerit, nescio [2]); apud Plinium nonnullis locis legitur. *Non* fere *quisquam* in senatu fuit 9, 13, 21. Adventum tuum *non* pater *quisquam*, non maritus expavit Pan. 20. *Non* adire *quisquam*, non adloqui audebat Pan. 48. Non ipse, *non quisquam* ex servis ejus apparuit 6, 25, 4. Hic "repetitio" singularis causa videtur esse, cur sic dixerit.

Vix opus est me commemorare, pronomen, quod est *aliquis*, in enuntiationibus negativis et conditionalibus poni, cum id ne apud optimos quidem scriptores sit rarum. Si *aliquid* arcessit atque attrahit 5, 6, 42. Essent soliti se sacramento non in scelus *aliquod* obstringere 10, 96 (97), 7.

Quicumque pro eo, quod est quivis, ut jam apud Livium, sic apud Plinium ponitur [3]). Deforme arbitrabar, qui jubere posset tacere *quemcumque* huic silentium clepsydra indici 1, 23, 2. Illum *cujuscumque* et tuum *quemcumque* quæstorem simus juvaturi 4, 15, 13. (Patriam) mihi a *quocumque* excoli jucundum 5, 11 (12), 2. Cfr. 8, 20, 2. 10, 68 (73).

Quod Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 495, Anm. 2. docet, non pronomen *uterque* cum pronomine, quod est *suus*, conjungi, sed ibi *quisque* pronomen usurpari, non omnino rectum est. Sua *utrique* amoenitas 9, 7, 3. *Uterque* de duobus in plurali numero ponitur. Debebo ergo indulgentiæ tuæ et pietatis meæ celeritatem et status ordinationem, si mihi ob *utraque* hæc dederis commeatum triginta dierum 10, 8 (24), 6, al. Sic etiam meliores solutæ orationis scriptores nonnumquam loquuntur.

Alius, ubi alter exspectatur, legitur. Pater ei clarus, clarior vi-

[1]) Cfr. Wex ad Tac. Agr., Pag. 321, sequ. Madvig ad Cic. Fin. 5, 17, 46.

[2]) Hand. Turs. s. v. *haud* Pag. 19 negavit, antiquos scriptores sic esse locutos. Sed negavit idem, *non ullum* dici pro *nullo*, quod quin dicatur, non posse in dubium vocari, luculenter ostendit Madvig ad Cic. Fin. 3, 15, 50. Cfr. Cic. Tusc. 5, 8, 22. "Mihi non videbatur quisquam esse beatus posse." Nep. Eum. 11, 5. Hor. Ep. 1, 14, 37, al.

[3]) Cfr. quæ de hac re disputavit Madvig, Cic. Fin. Excursus VI, Pag. 834. Kühnast l. l. Pag. 48.

tricus, immo pater *alius* 2, 13, 4. Cfr. Tac. Hist. 4, 73. Suet. Tit. 7. Curt. 9. 8, 5. Præterea jam Plaut. Sall. Liv. usi sunt voce, ubi de duobus quæritur.

Horum in numero pro eo, quod est usitatius *hoc in numero* apud Plinium legitur. Horum in numero avunculus meus 6, 16, 3. Similiter dicitur *quorum in numero*. Cum meis ambulo, *quorum in numero* sunt eruditi 9, 36, 4 [1]). (Cfr. Cic. Vat. 17, 41).

De Verbis.

In usu verborum sermo Plinianus ab aurea latinitate in eo maxime abhorret, quod ille permulta verba inusitate transtulit, alia brevitatis causa absolute posuit, quorum pleraque commemoravi in disputando de brevitate sermonis Pliniani. In verbis novandis contra parcior fuit, atque hæc fere sola nova videtur fecisse:

Defremere significat i. q. *fremere desinere*. Cum primus impetus defremuisset 9, 13, 4.

Indecere significat i. q. *dedecere*. Juvenes confusa adhuc quædam et quasi turbata non *indecent* 3, 1, 2. (Gell. 7, 12, 2, si lectio vera est, plane contrariam vim habere videtur. Cfr. ed. Lion).

Interscribere significat fere i. q. *interponere*. Poteris alia *interscribere* alia rescribere 7, 9, 5.

Pertribuere (ἀπ. εἰρ.) eadem significatione usurpatur, qua simplex *tribuere*. Certatim ei testimonia *pertribuerunt* 10, 86 (18), 2.

Prooemiari. Hac voce a græca lingua sumpta usus est pro eo, quod est *præfari*. *Prooemiatur* apte 2, 3, 3.

Supercurrere pro eo, quod est *superare*, *superesse*, dicitur. Vectigal large *supercurrit* 7, 18, 3.

Ubertare. Hoc verbum brevitatis causa fecisse videtur ad significandum idem, quod *fecundum*, *uberem facere*. Cælo numquam benignitas tanta, ut omnes simul terras *ubertet* foveatque Pan. 32.

Hæc fere *verba*, quibus Plinius usus est, argentea ætate novata sunt:

Adnatare. Hoc vocabulum plenius quiddam sonans ponitur pro eo, quod est apud veteres scriptores *adnare*. Puer *adnatat* 9, 33, 6. (Plin. maj. Sil. Sen. Liv. 28, 36, 12 (ed. Madvig) nunc legitur: "Annantes").

[1]) Cfr. Anton, "Studien zur Lat. Grammat. und Stilistik", Pag. 88, sequ. Erfurt 1869, qui copiosissime de hac re disputavit.

Adnotare 1) idem significat, quod *observare*, *animadvertere*. *Adnotasse* videor facta dictaque virorum feminarumque alia clariora esse alia majora 3, 16, 1. Cfr. 2, 11, 6. 7, 20, 6. 7, 29, 2. 8, 6, 1. Pan. 56. 67. (Plin. maj. Suet. Sen.); 2) dicitur de iis, qui in libris, quos legunt, notas ponunt, quibus indicent, se alios locos probare alios improbare. *Adnota* quæ putaveris corrigenda 3, 13, 5. Cfr. 1, 8, 3. 3, 5, 10. 5, 12 (13), 2. 7, 12, 3. 7, 17, 7. 7, 20, 1. 9, 26, 5. 9, 26, 13. (Quint. Suet.); 3) de magistratu, qui aliquid faciendum in commentarios refert. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, *adnotavi* in urbem remittendos 10, 96 (97), 4. (Suet. Dig.).

Enotare i. s. q. memoriæ causa aliquid in commentarios referre. Meditabar aliquid *enotabamque* 1, 6, 1. 6, 16, 10. (Quint.).

Enotesco i. s. q. *notum fieri*, *pervulgari*. *Enotuerunt* quidam tui versus 2, 10, 3. Cfr. Pan. 5. (Sen. Tac. Suet.).

Exarmare, quod proprie significat armis spoliare, exuere, deinde per translationem ponitur pro eo, quod est *debilitare*, *infirmare*. Accusationem *exarmaret* 3, 9, 29. (Sil. al.).

Exosculari pro eo, quod est simplex *osculari*, dicitur. Diu *exosculatus* adulescentem 5, 17, 4. 9, 13, 21. (Tac. Suet.).

Exundare pro eo, quod est *redundare*, *effundi*. Marmoreo labro aqua *exundat* 5, 6, 20. (Plin. maj. Tac. Col. al.).

Imaginari idem fere significat, quod *cogitare*, *animo fingere*, *somniare*. Cum *imaginor* vos, quibus quærimus generum, silendum de facultatibus puto 1, 14, 9. *Imaginor* quæ admiratio te maneat 2, 10, 7. 2, 11, 11. 5, 6, 7. 6, 4, 4. 7, 26, 2. 8, 6, 11. 8, 6, 12. *Imaginatus* est venisse Neronem 5, 5, 5. (Plin. maj. Sen. Quint. Tac. Suet.).

Inhabitare pro eo, quod est *habitare*, *incolere*, dicitur. Justisne de causis tibi videor incolere, *inhabitare*, diligere secessum? 2, 17, 29. *Inhabitantibus* tristes noctes per metum vigilabantur 7, 27, 6. (Plin. maj. Petr. Sen. Ep. 17, 2 (102), 27 lexicographi omiserunt).

Inmorari pro eo, quod est *morari in* aliqua re. Per hoc adsequebamur, ut honestis cogitationibus *inmoraremur* 1, 8, 8. 5, 6, 42. Pan. 54. (Plin. maj. Quint. Col. Sen. Ep. 1, 2, 2).

Inquietare dicitur *quietem* alicujus *perturbare*, *molestiam* alicui *afferre*. Nullis rumoribus *inquietor* 1, 9, 5. 9, 15, 1. (Sen. Quint. Tac. Suet. Col.).

Redormire pro eo, quod est simplex dormire, dixit. Paulum *redormio*, dein ambulo 9, 36, 3. (Cels.). Similiter Plinius sæpe verbis cum *re-* particula conjunctis utitur pro simplicibus. Cfr. *Repromittere* 4, 27, 5. *Repurgare* 1, 20, 8. *Relanguescere* 2, 19, 4, al.

Subjacere de loco dictum idem significat, quod apud veteres scriptores "subjectum esse, prope situm esse." *Subjacens* mare intuetur (cubiculum) 2, 17, 6. Fenestris *subjacet* vestibulum villæ 2, 17, 15. 5, 6, 2. 5, 6, 23. 6, 16, 8. 8, 20, 3. (Curt. Col.).

Subnotare i. s. q. *subscribere*. *Subnoto* libellos 1, 10, 9. (Suet.).

Superscribere i. s. q. *supra scribere*. *Superscripto* alio explicitum 7, 12, 3. (Suet. Dig.).

Supervivere i. q. *superstitem esse*. Gloriæ suæ *supervixit* 2, 1, 1. (Suet. Flor. Just.).

Transponere i. q. *transferre*. Erit facile onera *transponere* in flumen 10, 61 (69), 2. (Tac. Just.).

His verbis a Plinio nova vis imposita videtur esse:

Adradere proprie usurpatur maxime a poëtis de barba, capillis, arboribus tondendis, sed Plinius per translationem posuit fere eadem significatione, qua dicitur *conficere*, ducta translatione ab opere, quod statuarii radendo perpoliunt et absolvunt. ***Λειτούργιον*** illud, quod superesse Marii Prisci causæ proxime scripseram nescio an satis, circumcisum tamen et *adrasum* est 2, 12, 1.

Adsistere pro eo, quod est *adesse* in judicio, dicitur. *Adsistebam* Vareno 7, 6, 3. 10, 81 (85), 1. (Dig.).

Confodere. Hac voce Plinius usus est de verbis, quæ signo apposito delenda aut corrigenda esse indicantur. "Gubernacula gemunt" et "dis maris proximus" isdem notis quibus ea de quibus scribo, *confodias* 9, 26, 13. (Cfr. Liv. 5, 11, 12. "Eos tot judiciis confossos venire ad populi judicium", quamquam ibi aperta est translatio. Propria significatione et pro eo, quod est transfigere, usu satis tritum est).

Destringere, qua voce propria significatione jam Cato usus est pro eo, quod est stringendo detrahere, decerpere, avellere, Plinius primus 1) per translationem posuit eadem fere significatione, qua *demere*. Quanto cum dolore laturi homines essent *destringi* aliquid et abradi bonis Pan. 37; 2) eadem s. q. *defricare*. Dum *destringitur* tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat 3, 5, 14. (Plin. maj. Mart.). Notum omnibus est apud optimos scriptores usitatissimam esse locutionem illam: "gladium destringere."

Exscribere, quod proprie significat de exemplari aliquo aliquid describere, Plinius posuit et pro eo, quod est *pingendo imaginem describere;* Petit (imagines) *exscribendas* pingendasque delegem 4, 28, 1, et per translationem pro eo, quod est *exprimere*, *effingere*, *referre imaginem*, *similitudinem* alicujus. Totum patrem mira similitudine *exscripserat* 5, 16, 9.

Execare proprie dicitur de vitiosis partibus corporis, quæ amputantur, sed Plinius per translationem dixit de eo, qui honoribus senatoriis privatus est. Quid miserius, quam *exectum* et exemptum honoribus senatoriis labore et molestia non carere? 2, 12, 3. (Cfr. Cic. Sest. 65, 135. Hor. Sat. 1, 2, 14).

Inarescere, quo verbo Vitruvius propria significatione usus est, Plinius per translationem posuit fere pro eo, quod est *perire*. Quæ (liberalitas) ita temperanda est, ne nimia profusione *inarescat* 2, 4, 4. (Propria vi ut ap. Vitr. Cels. Plin. maj. Quint. Col. legitur: Buxus *inarescit* 2, 17, 14.)

Inumbrare per translationem pro eo, quod est *obscurare*, primus Plinius usurpasse videtur. Imperatoris adventu legatorum dignitas *inumbratur* Pan. 19. Idem quod *opacare* jam apud Lucr. et Verg. significat, quemadmodum apud Plinium et æquales aliquot. Quæ (areola) quattuor platanis *inumbratur* 5, 6, 20. 8, 17, 3.

Lectitare pro eo, quod est *recitare*, dicitur. Orationes quoque et nostri quidam et Græci *lectitaverunt* 7, 17, 4. (Dubitare tamen licet, num hic vocis usus sit novus, cum jam Cic. Brut. 51, 191 eadem significatione posuerit "legere", sicut Plin. Ep. 7, 25, 1. 9, 34, 1).

Percolere, quod apud Plaut. et Tac. significat colere, vereri, exornare, apud Plinium ponitur eadem fere vi, qua *perficere*. Inchoata *percolui* 5, 6, 41.

Perdomare, quod apud veteres scriptores dicitur de gentibus, terris, Plinius ad agriculturam transtulit. Solum nono demum sulco *perdometur* 5, 6, 10. (Non ita multum ab hoc loco discrepat: "Farinam aqua sparsit et adsidua tractatione perdomuit" Sen. Ep. 14, 2 (90), 23. Stat. Theb. 1, 524: "Perdomitam Cererem").

Perseverare num alibi de rebus dicatur pro eo, quod est *durare*, *tenere*, non audeo pro certo affirmare. Apud Plinium vero legitur. Tremor terræ *perseverabat* 6, 20, 19.

Præsternere, quod apud Plautum propria significatione usurpatur, apud Plinium per translationem ponitur pro eo, quod est *præparare*. Illud peto, *præsternas* ad quod hortaris 5, 8, 14. Cfr. Pan. 31.

Prosecare apud veteres scriptores dicebatur de extis hostiarum, apud Plinium de solo dicitur eadem fere significatione, qua *proscindere*. Tantis glebis solum, cum primum *prosecatur*, adsurgit 5, 6, 10.

Recomponere, quod apud Ov. propria significatione usurpatur, a Plinio per translationem dicitur. Quasi reconciliarent ac *recomponerent*, ambobus propitium Cæsarem precabantur 6, 5, 5.

Reformare, qua voce jam Ov. propria significatione usus est, apud Plinium per translationem ponitur pro eo, quod est *emendare*, *corrigere*.

Corruptos depravatosque mores principatus parens noster *reformet* et corrigat Pan. 53.

Resultare, qua voce Quintilianus quoque per translationem usus est de oratione, Plinius satis mire posuit fere pro eo, quod est *abhorrere*, *repugnare*. Ut barbara et fera nomina græcis versibus non *resultent* 8, 4, 3. Præterea poëtarum more dixit de locis sonum reddentibus. Inde *resultantia* vocibus tecta Pan. 73. (Verg.).

Subsignare pro eo, quod est *subscribere*, *confirmare*, *fidem interponere* dixit. Id jam nunc apud te *subsigno* 3, 1, 12. *Subsigno* apud te fidem pro moribus Romani mei 10, 4 (3), 4. (Cic. Flacc. 32, 80 de prædiis dixit, quæ in tabulis censoriis scribuntur).

Hæ significationes verborum apud veteres scriptores inusitatæ Plinio cum æqualibus sunt communes:

Adlegare apud veteres scriptores dicebatur de iis, qui ad privatum aliquod negotium gerendum mittebantur, postea vero ita vim suam mutavit, ut idem fere significaret, quod *afferre*. Petis ut libellos tuos legam, adhibes preces, *adlegas* exemplum 3, 15, 1. Cfr. 3, 4, 4. 10, 58 (66), 3. Pan. 70. (Quint. Tac. Suet. Stat.).

Adsidere, quod apud veteres scriptores dicebatur præcipue de iis, qui aut officii aut custodiæ causa præsto erant, apud Plinium et æquales idem fere significat, quod *assidue studere*. Qui tota vita litteris *adsident* 3, 5, 19. (Tac. Sen.).

Adsignare insolenter usurpatum est fere eadem significatione, qua *tradere*, *committere*. Concupisco bonos juvenes *adsignare* famæ 6, 23, 2 (Sen.).

Adstringi i. s. q. *refrigerari*. In proximo puteus, ex quo possis rursus *adstringi*, si poeniteat teporis 5, 6, 25. (Mart.). (Cfr. præterea Lex. Klotzii).

Auspicari apud veteres scriptores significat auspicia habere, apud Plinium vero ponitur eadem vi, qua *incipere*, *ingredi*. Superstitionis enim erat Romanorum, ut crederent, rem nisi certa die inchoatam non prospere processuram esse, quam ob rem illa die, quæ "auspicalis" vocabatur, saltem se "simulabant" opus inchoare ac per speciem inchoandi boni ominis causa leviter attingebant. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non *auspicandi* causa, sed studendi 3, 5, 8. Cfr. Pan. 1. Atilius ap. Plin. Ep. 2, 14, 2. (Vell. Plin. maj. Sen. Tac. Suet. Col.).

Censeri aliqua re pro eo, quod est *ex aliqua re æstimari*. Hic te commilitone *censetur* Pan. 15. (Sen. Plin. maj. Tac. Suet. Val. Max. Mart. Apud veteres quomodo usurpetur, omnibus notum est).

Dedicare apud veteres scriptores dicebatur de templis, aris, aliis rebus diis consecrandis, deinde poni coeptum est etiam de aliis qui-

busdam rebus, velut: Bibliothecam *dedicaturus* 1, 8, 2. Cognovi te porticum *dedicasse* 5, 11 (12), 1. Cfr. 10, 116 (117), 1. (Plin. maj. Suet.).

Destruere, quod proprie dicebatur de ædificiis ac postea de aliis quibusdam rebus etiam per translationem poni coeptum est, apud Plinium et æquales nonnullos usurpatur de hominibus. Foris claros domestica *destruebat* infamia Pan. 83. (Vell. Tac. Quint.).

Ejurare magistratum dicitur pro eo, quod est *abdicare se magistratu.* Quasi *ejurato* magistratu 1, 23, 3. (Veteres dicebant "ejurare judicem", tal. Sen. Tac. Just. Stat.).

Evigilare pro eo, quod est *expergisci*, contra consuetudinem veterum scriptorum dicitur. *Evigilo* cum libuit, plerumque circa horam primam 9, 36, 1. Cfr 1, 5, 9. (Quint. Suet. Stat.).

Excerpere, quod apud veteres scriptores i. s. q. eligere, apud Plinium et æquales ponitur de locis ex aliorum libris electis et a scriptore quodam annotatis. Liber legebatur, adnotabat *excerpebatque* 3, 5, 10. Librum Titi Livi *excerpo* 6, 20, 5. (Sen. Quint. Suet. Cfr. Cic. Inv. 2, 2, 4, "Omnibus in unum locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere videbatur, excerpsimus").

Excolere pro eo, quod est *exornare*, nemo ante argenteam ætatem dixisse videtur. Cubiculum marmore *excultum* 5, 6, 22. 9, 39, 3. (Plin. maj. Quint. Suet. Flor. Mart.). Per translationem pro eo, quod est *honore afficere, colere* ponitur. Mihi ornandus *excolendusque* est 3, 2, 4. (Patriam) mihi a quocumque *excoli* jucundum 5, 11, (12), 2. (Cfr. Ov. Pont. 1, 7, 59. "Ut te non excolat ipsum!").

Exserere per translationem ponitur fere pro eo, quod est *promere, ostendere, exercere*. *Exseram* in librum tuum jus quod dedisti 8, 7, 2. (Sen. Quint. Suet.).

Figurare apud veteres scriptores proprie dicitur; sed Plinius et æquales per translationem posuerunt de oratione figuris distinguenda. *Figurare* varie nisi eruditis negatum est 3, 13, 3. Cfr. 4, 20, 2. (Quint. Sen.).

Focilare pro eo, quod est *fovere, recreare, reficere*, non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse, si locum illum Varr. ap. Non. 481, 5 (ed. Gerlach & Roth), ubi forma deponente, ut aiunt, legitur, exceperis. Aegre *focilatus* 3, 14, 4. 3, 16, 12. (Sen. Suet.).

Inclarescere significat *clarum, nobilem fieri.* Dignitate nuptiarum *inclaruisse* Pan. 82. (Plin. maj. Tac. Suet.).

Ingerere se dicitur is, qui ambiendo sua sponte operam suam offert, nullo postulante. Præfectum prætorio non ex *ingerentibus* se, sed ex subtrahentibus legere Pan. 86. (Juv. 6, 608. Eadem fere vi Cic. Cæc. 5, 13 dixit "se inferre").

Inplere per translationem usurpatur in locutionibus nonnullis veteribus scriptoribus minus usitatis pro verbis *obeundi, exsequendi, satisfaciendi*, velut: *Inpleretur* officium 10, 43 (52), 2. *Inplesse* officii partes 10, 47 (56), 3. Spem *inpleverim* 1, 10, 3. *Inplere* materiam 1, 20, 21. (Cfr. Liv. 7, 2, 7). *Inplere* summum fastigium privati hominis 2, 1, 2. *Inplere* promissum 2, 12, 6 (Cfr. Cic. Cluent. 18, 51). Fidem peractæ mortis *inplevit* 3, 14, 2. Cfr 7, 33, 7. *Inplere* vicem alicujus 6, 6, 6. *Inplere* vestigia 8, 13, 1. *Inplere* in emancipatione 10, 4 (3), 3. *Inplere* domum (transl.) 7, 24, 9. Sæpe dicitur de ætate, tempore, quæ locutiones maxime poëtarum propriæ sunt. *Inplevit* annum septimum et sexagensimum 1, 12, 11. 5, 16, 2. *Inplere* tempus 4, 9, 12. 7, 6, 11.

Initiare apud veteres scriptores non est positum nisi de sacris maxime Cereris, sed argentea ætate coeptum est dici de litteris pro eo, quod est omnibus usitatum *imbuere.* Aliis sum litteris *initiatus* 5, 14 (15), 8. (Quint.).

Intercedere, quod apud veteres scriptores maxime dicebatur de tribunis plebis aliquid impedientibus, apud posteriores omnino significabat i. q. *obstare, occurrere*. *Intercedere* casibus Pan. 25. Cfr. Pan. 4. 80. (Tac. Suet. Just. Cfr. Liv. 8, 2, 3).

Invalescere contra veterum consuetudinem dicitur per translationem eadem significatione, qua *confirmari, validum fieri. Invaluit* consuetudo 6, 2, 5. Tremor terræ *invaluit* 6, 20, 3. Cfr. 6, 8, 2. Pan. 23. (Quint. Suet.).

Lenocinari apud veteres scriptores i. fere s. q. blandiri, adulari, apud posteriores vero i. q. *commendare, gratiam conciliare.* Libro isti novitas *lenocinetur* 2, 19, 7. Cfr. 1, 8, 6. (Quint.).

Nuncupare. Quemadmodum apud veteres scriptores "nuncupare vota", sic apud posteriores *nuncupare testamentum* dicebatur de testamento, quod voce coram testibus factum est, cui locutioni opponitur "testamentum scribere." Reliquit testamentum ante decem et octo annos *nuncupatum* 8, 18, 5. Absolute, ut aiunt, positum *nuncupare* significat i. q. *heredem instituere.* Nec quia offendit alius, *nuncuparis*, sed quia ipse meruisti Pan. 43. (Consimiles sunt locutiones apud Tac. Plin. maj. Suet. Just.).

Obtendere apud veteres scriptores i. fere s. q. tegere, sed apud posteriores dicitur eadem vi, qua *prætendere*. Puduit rationem turpitudini *obtendere* 8, 6, 15. (Quint. 12, 10, 15. Tac. Lucan. Jam apud Sallustium legitur substantivum, quod est "obtentus": "Secundæ res mire sunt vitiis obtentui." Sall. Hist. 1, 41, 24).

Pati injuriam apud veteres scriptores i. fere significat, quod æquo

animo ferre, sed apud Plinium i. e. q. injuriam accipere. Tanto graviores injurias, quanto et infirmior, *patitur* 10, 77 (81), 2. (Cfr. Krebs. Antib. s. v. *pati*).

Percurrere. Num quis aureæ ætatis scriptorum dixerit *percurrere* honores, nescio, sed credibile saltem videtur eam locutionem in usu fuisse, cum apud Ciceronem sæpissime inveniatur "cursus, decursus honorum." Apud Plinium legitur: Quæsturam tribunatum præturam honestissime *percucurrit* 1, 14, 7. (Suet.).

Percutere fossam insolenter dixit pro eo, quod est *ducere fossam.* Per eadem loca invenio fossam a rege *percussam* 10, 41 (50), 4. (Frontin. Strateg. 3, 17, 5).

Præloqui apud Plautum significat ante loqui, dicere, apud Plinium i. q. *præfari.* De communis officii necessitatibus *prælocuti* excusare me temptarunt 3, 4, 3. 4, 5, 3. 8, 21, 3. (Sen. Nat. Qu. 2, 11, 3).

Proferre argentea ætate dicebatur pro eo, quod est *gignere*, *efferre*, *edere.* Laurum nitidissimam *profert* (coelum) 5, 6, 4. (Plin. maj. Val. Flacc.). Præterea hic commemoranda est locutio illa *se proferre*, quæ i. fere s. q. *se ostendere*, *apparere.* Materiam *se proferendi* 9, 13, 2. Cfr. 1, 13, 1. Se ad clarissimorum civium strages cædesque *proferret* Pan. 48. (Cfr. Sen. Ep. 5, 12 (52), 3).

Promovere apud optimos scriptores non dicebatur nisi propria significatione, sed posteriores voce usi sunt etiam per translationem pro eo, quod est *producere* ad dignitatem, *provehere* ad honores. *Promotus* ad amplissimas procurationes 7, 31, 3. 10, 3 (20), 1. 10, 4 (3), 2. Absolute, ut aiunt, positum est. Nos *promovere* vellet Pan. 90. (Suet. Curt. al.).

Provocare contra consuetudinem optimorum scriptorum et i. s. q. *incitare*, *commovere* cum subjecto rei conjunctum; Felicitas temporum, quæ bonam conscientiam civium tuorum ad usum indulgentiæ tuæ *provocat* 10, 12 (7). (Suet. Pallad.), et i. q. *causam præbere*, *movere.* Non times bella nec *provocas* Pan. 16. (Cfr. 8, 6, 13 Sct.). Non *provocas* reddisque sermones? Pan. 49. (Hor. Plin. maj. Tac.). Alia significatione, qua de hominibus dictum exstat etiam apud veteres scriptores, Plinius voce usus est de rebus inanimis. Inmensum latus circi templorum pulchritudinem *provocat* Pan. 51.

Publicare apud veteres scriptores ponitur de bonis in ærarium redigendis, apud Plinium de libris edendis. Hortatus es ut epistulas colligerem *publicaremque* 1, 1, 21. 1, 5, 2. 4, 27, 5. 5, 12 (13), 1. (Suet. Cæs. 56. Claud. 3 [1]).

[1]) Cfr. præterea Rosengren, l. l. Pag. 38.

Recolligere propria significatione dicitur. Cum hæsisset descendenti stola, vertit se ac *recollegit* 4, 11, 9. Cfr. Actionem meam *recollegi* 9, 13, 23. (Sen. Ben. 1, 9, 4. Just. Col. Lucan.).

Refovere. Hæc vox poëtica argentea ætate per translationem poni coepta est pro eo quod est *recolere*, *restituere.* Quæ (studia) prope exstincta *refoventur* 3, 18, 5. Cfr. Pan. 18. 69. (Vell. Tac. Suet. Curt.).

Refragari, quod apud veteres scriptores propria significatione dicebatur, Plinius et æquales per translationem posuerunt fere pro eo, quod est *obstare*, *adversari.* Si materia non *refragetur* 2, 5, 5. Cfr. 3, 19, 9. (Quint. Curt. al.).

Rescribere apud veteres scriptores i. fere s. q. respondere ad litteras et in re pecuniaria usurpatur, sed apud Plinium et æquales de scriptis ponitur eadem significatione qua *retractare.* Potes simul et *rescribere* actiones et componere historiam 5, 8, 7. 7, 9, 5 8, 21, 6. (Suet.).

Restringere propria vi subjecta apud poëtas Augusteæ ætatis invenitur atque in participio positum exstat apud Ciceronem pro parco, avaro, Plinius autem et æquales per translationem posuerunt fere pro eo, quod est *coërcere*, *cohibere.* Sumptus candidatorum ambitus lege *restrinxit* 6, 19, 4. Cfr. 1, 8, 9. 5, 19, 9. An *restrictius* arbitraris per orbem terrarum legendum dare duraturam memoriam suam? 9, 19, 6. (Sen. Tac. Plin. maj.).

Substituere aliquem *crimini* locutio est jurisconsultorum, qua Plinius usus est eadem fere significatione, qua *reum agere*, *accusare.* *Substituebantur crimini* Senecio et Eurythmus 6, 31, 8. (Cfr. Quint. I. O. 7, 4, 15. "Fortuna substituitur culpæ." Liv. alia significatione posuit fere pro eo, quod est "animo et cogitatione fingere, animo proponere." "Substituerat animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam" Liv. 28, 35, 5).

Transigere de tempore nemo meliorum scriptorum dixisse videtur pro eo, quod est *agere*, *degere.* Disertissimis sermonibus dies *transigebat* 3, 7, 4. Pan. 48.

Transmittere contra consuetudinem optimorum scriptorum ponitur in nonnullis locutionibus, velut: Mirareris, ut incredibilem febrium ardorem *transmittat* 1, 22, 7. (Hoc loco idem fere significare videtur, quod *tolerare*, *perferre*). Cfr. Incipit *transmissum* discrimen convalescendo metiri 8, 11, 2. Secessus voluptates regionisque abundantiam inoffensa *transmitteres* 6, 4, 2. De tempore dictum i. s. q. *agere.* Omne hoc tempus jucundissima quiete *transmisi* 9, 6, 1. (Sen. Plin. maj. Stat.). *Transitum dare* significat etiam cum subjecto rei conjunctum. (Cryptoporticus) patentibus fenestris favonios accipit *transmittitque* 2, 17, 19. Cfr. 8, 8, 3. (Sen. Plin. maj.).

Usurpare i. s. q. *injuria sibi vindicare*, *sibi arrogare*. *Usurpabant* gloriam istam illi quoque principes, qui obire non poterant Pan. 81. (Tac. Suet. Just.).

Vacare. Quia in disceptationem vocatum est, num latine diceretur *vacare* de magistratu, commemorandum putavi certe apud Plinium legi: Peto ut Accium Suram prætura exornare digneris, cum locus vacet 10, 12 (7). Auguratum vel septemviratum, quia *vacant*, adjicere digneris 10, 13 (8). (Just.). Neque silentio prætereundum est *vacare* sæpe idem significare, quod *operam dare*, *se dedere*, quam significationem posterioribus usitatissimam ne optimi quidem scriptores omnino repudiasse videntur. Quasi solutus ceteris curis huic uni *vacabat* 3, 5, 15. Cfr. 1, 8, 2. Corpori *vaco* 1, 9, 4. *Vacat* impersonaliter, ut aiunt, sæpe positum est et absolute et cum infinitivo conjunctum. Te, cui *vacat* (i. e. otium est), hortor 1, 10, 11. Cfr. quæ de usu infinitivi disputavimus. (Verg. Ov. post.).

Velare num ante argenteam ætatem dictum sit per translationem pro eo, quod est *celare*, dubito, quamquam nonnulli contenderunt, etiam Ciceronem sic locutum esse. Agentibus tibi gratias nihil *velandum* est, nihil omittendum est Pan. 56. (Sen. Tac.).

Vindicare se de aliquo eadem significatione dicitur, qua *se ulcisci ab aliquo*. *Se de* fortuna *vindicat* 4, 11, 14. Cfr. Licet nobis *de* malis imperatoribus *vindicari* Pan. 53. (Sen. Clem. 1, 9, 3 legitur: "Se ab aliquo vindicare", ut Clem. 1, 21, 4. Ben. 6, 5, 4. Apud Cic. Dej. 7, 21 nunc legitur: "De absente se indicare").

Jam apud poëtas priores, Sallustium, Livium, alios nonnullos hæc fere verba iisdem significationibus, quibus apud Plinium, leguntur, quamquam apud illos scriptores rariora sunt:

Abnegare. Ne depositum appellati *abnegarent* 10, 96 (97), 7. (Verg. Hor. post. Veteres dicebant "negare, denegare").

Abolere i. s. q. *tollere*, *exstinguere*, *delere*, *dirimere*. Hunc (gymnicum agona) tollendum *abolendumque* curavit 4, 22, 1. Mors quam paucissima quæ *abolere* possit inveniat 5, 5, 8. Cfr. 7, 6, 6. 7, 19, 6. (Verg. Liv. post.).

Abominari i. s. q. *detestari*, *abhorrere*. Mihi quæ maxime *abominor* fingo 6, 4, 4. (Liv.). *Quod abominor* apud Plinium, ut apud Curt. dici eadem significatione, qua apud veteres: "quod deus avertat, quod dii prohibeant, quod dii omen avertant", Doering docuit ad Plin. Ep. 6, 22, 7, ubi illa locutio exstat. Si quis forte te, *quod abominor*, fallat.

Abrumpere præeuntibus Verg. Ov. Liv. Varr. R. R. 3, 10, 5: "Anseres abrumpunt collum"; cfr. Cic. Phil. 14, 12, 31: Hæc (legio) se prima latrocinio abrupit Antonii"; propria quodammodo significatione apud Plinium et æquales dicitur. Numquamne hos artissimos laqueos *abrumpam* 2, 8, 2. Cfr. (Vitæ) retinacula *abrupit* 1, 12, 8. 6, 6, 9. Sed etiam per translationem usurpatur, ut apud Verg. Ov. Catull. Liv. (Cfr. Liv. 21, 44, 8. "Omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis"). Quæ (mors) semper inchoatum aliquid *abrumpat* 5, 5, 4. Quod (otium) ego non *abrumpi*, sed intermitti volo 7, 3, 4; atque etiam de sermone ponitur, ut apud Verg. Repetit quod *abruperat* 2, 14, 10. Hujus actionem vespera inclusit, non tamen sic ut *abrumperet* 2, 11, 18. Cfr. 6, 20, 1. Posterioribus scriptoribus tales locutiones frequentatæ sunt.

Adclamare, qua voce Cicero in malam partem utitur, jam inde a Livii ætate dici coeptum est in bonam partem (Cfr. Liv. 34, 50, 9). Consurgenti ei ad censendum *adclamatum* est 4, 9, 18. Similiter *adclamatio* usurpatur, præeunte Liv. 31, 15, 2. Adsentationem vulgi *adclamationemque* defugerim 1, 8, 17. Pan. 3. 71. 73. 75. Apud posteriores scriptores illa significatio vocis frequens est.

Adflare. Utrumque nostrum jacto fulmine *adflaverat* Pan. 90. Verg. et Ov. dixerunt: "fulminis ventis, ignibus aliquem afflare"; atque apud Liv. 30, 6, 7 legitur: "Afflati incendio." De usu Ciceronis cfr. Schützii Lexicon Ciceronianum. (Plin. maj.).

Adorare i. s. q. *precari*, *supplicare*. *Adorantium* precibus Pan. 3. Cfr. Pan. 52. (Verg. Ov. Prop. Liv. post.).

Adornare per translationem ponitur. Benefacta sua verbis *adornant* 1, 8, 15. Quod (ingenium) ille moribus *adornat* 4, 27, 5. (Liv. 28, 42, 5. Vell. Quint. Tac.).

Adserere 1) dicitur pro eo, quod est *vindicare*. (Non) aliud tibi, quam filii pietatem *adsereres* Pan. 10. (6, 10, 4. 9, 19, 1. Inscr. sepulcri Verg. Rufi). Ipse te studiis *adseris* 1, 3, 3. (Cfr. Ov. Met. 1, 462. "Nec laudes assere nostras." 1, 761. "Meque assere coelo." Sen. Plin. maj. Quint. Suet. Curt.). 2) i. s. q. *liberare*. Orabat ut se ab injuria oblivionis *adsereret* 3, 5, 4. 2, 10, 4. (Cfr. Ov. Am. 3, 11, 3. "Scilicet adserui jam me fugique catenas." Quint. Flor. Suet. Lucan. Apud veteres scriptores solutæ orationis in rebus forensibus usurpatur).

Adstruere i. s. q. *addere*, *adjicere*, *tribuere*. Magni æstimo dignitati ejus aliquid *adstruere* 3, 2, 5. 4, 17, 7. Pan. 35. 38. 74. Omnibus quos bonos facis hanc *adstruis* laudem Pan. 46. Quod cuique *adstruatur* Pan. 62. (Cfr. Ov. A. A. 2, 119. ("Animum) adstrue formæ." Vell. Plin. maj. Tac. Quint.).

Advolvi genibus, *pedibus* alicujus, ut apud Prop. et Liv., dicitur

pro eo, quod est apud Ciceronem et Cæsarem "accidere, procumbere, projicere se ad genua, pedes alicujus." Socrus mea *advoluta* genibus ne agerem obsecrare 1, 18, 3. *Advolutus* pedibus 9, 21, 1. (Post.).

Agere aliquem pro eo, quod est "partes alicujus agere", usitatissimum est apud argenteæ ætatis scriptores. Sunt qui defunctorum quoque *amicos agant* 1, 17, 1. 3, 16, 6. 8, 14, 5. 9, 15, 3. Pan. 15. 56. 76. 85. 93. (Cfr. Cic. Fam. 2, 9, 1. "Egi omnes illos adolescentes, quos ille actitat." Liv. 45, 25, 2. "Lenem mitemque senatorem egit" [1]).

Amplecti i. s. q. *cingere*. Cogito locum exedra et porticibus *amplecti* 10, 70 (75), 3. (Verg. Liv.).

Ampliare apud optimos scriptores usurpatur in rebus forensibus eadem significatione, qua "judicium differre", sed apud Plinium significat i. q. *augere*, *amplificare*. De *ampliando* numero gladiatorum consulebamur Pan. 54. Cfr. Ipsa civitas *amplietur* 10, 70 (75), 1. (Hor. Auct. B. Hisp. Plin. maj. Suet. Monum. Ancyranum Klotz laudavit).

Aperire annum Plinius, Vergilium (Georg. 1, 217) secutus, de consulibus magistratus adeuntibus dixit. Contigit privatis *aperire* annum Pan. 58. (Tac. Stat. Silv. 4, 1, 2).

Aptare pro eo, quod est *accommodare*, *parare*, dicitur. Quæ (persona) ita *aptanda* est, ut perferatur 1, 23, 5. Jubet liburnicam *aptari* 6, 16, 7. Arma moenia viros *aptant* Pan. 18. (Verg. Ov. Hor. Liv. post. Per translationem Cic. d. Or. 3, 40, 162 dixit: "Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat").

Artare propria significatione usurpatur. Te maxime *artaret* Pan. 23. (Lucr. Plin. maj. Cels. Col. al.).

Atterere ex scriptoribus aureæ ætatis solus Sallustius per translationem posuisse videtur, eumque Plinius secutus dixit: Respublica novis sumptibus *atterebatur* 9, 33, 10. Nec jam splendescit lima, sed *atteritur* (opus) 5, 10 (11), 3. (Plin. maj. Quint. Tac. Curt. Suet. al.).

Attollere, qua voce maxime poëtæ et Liv. usi sunt, apud Plinium per translationem variis modis ponitur. Orationem tam summittere quam *attollere* decet 3, 13, 4. 5, 17, 2. Debet orator *attolli* 9, 26, 2. Hæc tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, *attolles!* 9, 33, 11. Qui (consulatus) sibi tuis umeris *attolli* et augescere videtur Pan. 57. Animos *attollis* Pan. 44. (Felicitas temporum) bonam conscientiam civium tuorum ad usum indulgentiæ tuæ provocat et *attollit* 10, 12 (7). Cum proximum campum pulvere *attolleres* Pan. 14. (Verg. Liv. Prop. Tac. Quint. al.).

[1]) Minus accurate de usu hujus verbi disputavit Krebs, l. l. s. v.

Captare, præeunte Horatio, qui "captare testamenta" dixit, Plinius et æquales de ipso homine posuerunt, quem simulata benevolentia prosequi solebant heredipetæ. Nuper captare eum *coeperat* 2, 20, 7. Cfr. 4, 2, 2. 8, 18, 2.

Cavare. Aqua *cavato* lapide suscipitur 5, 6, 36. 8, 20, 4. (Lucr. Verg. Ov. Liv. post.).

Circumagi. Postquam Livius in solutam orationem hoc vocabulum de tempore positum (cfr. Lucr. 5, 881) induxerat, ad alias quoque res transferri coeptum est, velut: Quin etiam parva hæc ordine quodam et velut orbe *circumagit* 3, 1, 3. Cfr. Cum videamus tot varietates tam volubili orbe *circumagi* 4, 24, 6. Eadem fere significatione, qua *curvare* dicitur. *Circumactis* curvatisque litoribus 6, 16, 12. Porticus in D litteræ similitudinem *circumactæ* 2, 17, 4. Hunc participii usum non inveniri nisi apud Plinium utrumque, nescio quo jure suspicatus est Freund in lexico. Cum illis locutionibus conferri potest. Lacus est in similitudinem jacentis rotæ *circumscriptus* 8, 20, 4.

Circumferre pro eo, quod est *pervulgare*, *disseminare*, dicitur. Meum meritum prædicatione *circumfert* 3, 11, 1. 6, 8, 2. Illud ingens fama, hæc nulla *circumfert* 3, 16, 13. (Ov. Am. 2, 17, 29. Col.).

Compescere i. s. q. *cohibere*, *sedare*. Nullum instrumentum ad incendia *compescenda* 10, 33 (42), 2. Hostilem terrorem *compescere* Pan. 56. Tumentes populos *compescere* Pan. 80. (Poët. post.).

Comprecari i. q. *precari*. Ei iratum principem est *comprecatus* 4, 25, 2. Pan. 2. (Plaut. Ter. Ov. Catull.).

Confiteri. Postquam Verg. et Ov. hac voce usi sunt pro eo, quod est ostendere, indicare, prodere aliquid aliqua re, Plinius et æquales aliquot (Quint. Pallad.) vocem eadem significatione conjunxerunt cum inf. Agitato corpore vivere se *confitetur* 3, 14, 3.

Conjectare i. s. q. *conjicere*. *Conjectabis* ex hoc, quantas contentiones subierimus 3, 9, 26. 7, 27, 14. Pan. 26. (Ter. Liv. post.).

Consummare i. q. *perficere*. Quæ in emancipatione implenda solent exigi *consummavit* 10, 4 (3), 3. 10, 39 (48), 6. (Ov. Liv. post.).

Convulnerare i. s. q. *vulnerare*. Exsanguem et ferream frontem nequiquam *convulnerandam* præbeant Pan. 35. (Auct. B. Afr. Plin. maj. Sen. Curt. Col. Just.).

Corripere viam poëtarum more dicitur. Tanto magis viam ipsam *corripiemus* 4, 1, 6. (Verg. al.).

Culpare i. s. q. *vituperare*, *reprehendere*. Si laudanda non sileas, ipse *culparis* 1, 8, 15. 5, 8, 13. 7, 17, 4. 9, 19, 8. 9, 26, 10. (Plaut. Ter. Verg. Ov. Hor. post. Varr. L. L. 9, 15, 129, quem locum attulit Freund in Lexico, nunc legitur: "Cum vituperandus non sit medicus" (ed. Mueller).

Dedignari i. q. *indignum judicare, spernere, contemnere.* Ea honorum vilitas erat, illorum etiam quos Pallas non *dedignabatur* 8, 6, 16. Cfr. Pan. 55. 63. (Verg. Ov. post.).

Defungi maxime in participio absolute, ut aiunt, ponitur pro eo, quod est *mori.* Sunt qui *defunctorum* quoque amicos agant 1, 17, 1. 2, 4, 2. 2, 7, 5. 2, 7, 7. 2, 16, 2. 3, 9, 6. 3, 21, 6. 4, 21, 3. 5, 7, 2. 5, 16, 1. 7, 24, 8. 7, 31, 6. 9, 9, 1. 10, 5 (4), 2. (Verg. Ov. Quint. Tac. Suet. al.).

Dehiscere i. s. q. *rimas agere, findi.* Nubes atra et horrenda in longas flammarum figuras *dehiscebat* 6, 20, 9. (Varr. Verg. Ov. Liv.).

Demereri i. s. q. *mereri de aliquo, gratiam* alicujus *captare.* In Regulo *demerendo* Regulum imitantur 4, 2, 4. (Ov. Liv. 3, 18, 3. post.).

Deradere. Cunctis margo *derasus* (i. e. exesus) 8, 20, 5. (Cat. Cels. Plin. maj.).

Desidere dicitur de eo, qui in spectaculo diu moratur. Quos ego cum recordor in re inani frigida adsidua tam insatiabiliter *desidere* 9, 6, 3. (Plaut. Ter. post.).

Desolare i. s. q. *deserere, destituere, relinquere.* Domum *desolatus* fulcit ac sustinet 4, 21, 3. Satis constat prope *desolata* templa coepisse celebrari 10, 96 (97), 10. (Verg. Ov. post.).

Destinare plerumque significare solet i. q. constituere, sed apud Plinium et æquales aliquot, velut apud Tac. et Suet. de magistratibus ponitur eadem vi, qua *designare.* Ego a *destinatis* censoribus quid sentirem interrogatus 10, 79 (83), 4. Cfr. Cui *destinatus* est honor 4, 17, 3. (Cfr. Liv. 10, 22, 1. 39, 32, 9). Præterea commemorandum est Plinium hoc verbo usum esse eadem significatione, qua *despondere.* Jam *destinata* erat egregio juveni 5, 16, 6. 6, 21, 1. (Hor. Sat. 2, 3, 217. Suet. Cæs. 27).

Desumere, præeuntibus Horatio et Livio, dicitur fere pro eo, quod est *suscipere.* Inter se majores minoresque cursum certamenque *desumunt* 8, 20, 7.

Deterere per translationem dictum est de scriptis fere pro eo, quod est *imminuere, corrumpere.* Nimia cura *deterit* magis quam emendat 9, 35, 2. (Hor. Quint. Tac.).

Distringere, quo verbo Cic. non videtur usus esse nisi in part. perf. pass., sæpissime apud Plinium et æquales, præeunte Livio, in finitis quoque modis usurpatur. *Distringor* officio 1, 10, 9. 2, 14, 1. Quem officia *distringunt* 3, 5, 19. Cfr. 1, 24, 3. 5, 5, 3. 7, 15, 1. 9, 2, 1. 9, 25, 3. 10, 19 (30), 1. Pan. 94.

Domitare i. s. q. *domare,* id quod plane convenit Plinii consuetudini verbis plenum quiddam sonantibus utendi. Certat *domitare* ventos reluctantes Pan. 81. (Verg. Plin. maj. Curt. Sil.).

Durare pro eo, quod est *manere,* dicitur. Adhuc honor studiis *durat* 4, 16, 1. *Duravit* hic (vigor animi) illi usque ad extremum 5, 16, 5. Cfr. 9, 19, 6. 9, 36, 3. (Plaut. Lucr. Verg. Liv. 1, 9, 1. post.).

Effulgere. Sol etiam *effulsit* 6, 20, 18. (Verg. Ov. Liv. post.).

Egerere et propria significatione dicitur, ut jam apud Ov. et Liv.; Umor supprimitur vel *egeritur* 4, 30, 7. 5, 6, 37; et per translationem fere pro eo, quod est *suppeditare, suggerere,* quod in nonnullis editionibus legitur. Mare soleas et squillas optimas *egerit* 2, 17, 28. (Cfr. 2, 8, 1, ubi eadem significatione legitur *suggerere*).

Eluctari. Eluctatus quem facit gurgitem patescit (fons) 8, 8, 2. (Verg. Liv. 24, 26, 13. Tac. al.).

Emovere i. s. q. *movere, amovere, removere.* Tecta quasi *emota* sedibus suis 6, 16, 15. (Verg. Hor. Liv. post.).

Emptitare. Quidquid venale audiunt *emptitant* 6, 19, 5. (Plaut. Cas. 2, 5, 39, si lectio integra est. Tac. Col.).

Enasci i. s. q. *nasci.* Saxis pilæ adicientur, quæ *enatam* insulam imitentur 6, 31, 17. (Varr. Lucr. Cæs. B. G. 2, 17, 4, quem locum Krebs omisit, Liv. post.). Sic Plinius et æquales sæpissime usi sunt verbis conjunctis pro simplicibus.

Eniti i. s. q. *parere.* Filiam *enixa* decessit 4, 21, 1. (Verg. Ov. Liv. 40, 4, 4).

Exacerbare i. s. q. *exulcerare.* Magis *exacerbatur,* quod amisit (tantum bonum) 8, 5, 2. (Liv. Suet. Just. Dig.).

Exasperare i. q. *asperum facere. Exasperatis* faucibus pulvere sanguinem rejecit 8, 1, 2. (Ov. Liv. post.).

Exercere contra consuetudinem optimorum scriptorum dicitur de agris colendis. Ager semper dominum, a quo *exerceatur,* inveniet 7, 18, 3. Campos curo et *exerceo* 1, 20, 16. (Verg. Ov. Hor. post.).

Exhibere nonnullis locis poëtarum more dicitur. Mihi tutor relictus adfectum parentis *exhibuit* 2, 1, 8. Cui major humanitas *exhibenda* est 5, 19, 2, Quam justitiam *exhibuit* Pan. 33. (Cfr. Ov. Met. 7, 322, al.). Memorabile populi Romani oculis spectaculum *exhibuit* publicum funus Vergini Rufi 2, 1, 1. (Plaut. Ov.). Malui me tribunum omnibus *exhibere* quam paucis advocatum 1, 23. 4. (Ov. Her. 17, 116).

Exhortari dicitur pro eo, quod est usitatius *adhortari.* Juvenes nostros *exhortatus* es, senatum circumirent Pan. 69. Cfr. 8, 6, 4. (Verg. Ov. post.).

Exigere de tempore dicitur eadem fere significatione, qua *tradu-*

cere. Nescio an ullum jucundius tempus *exegerim* 3, 1, 1. 6, 31, 9. Suspensam noctem *exegimus* 6, 20, 19. 7, 5, 1. Otium æstatis *exigerem* 9, 40, 1. (Sall. Jug. 14, 15. 85, 49 legitur: "Exigere vitam." Ter. Lucr. Verg. Ov. Tac. al.). Præterea commemorandum est *exigere rationem*, quam locutionem latinam esse, negavit Krebs (ed. IV cur. Allgayer s. v.), apud Plinium inveniri. A te ratio *exigitur* 2, 19, 9. Dixit *exigendam* esse a Dione rationem operis 10, 81 (85), 1. (Veteres dicebant fere: "poscere, reposcere, repetere rationem ab aliquo").

Exolescere Livium secuti Plinius et æquales per translationem posuerunt pro eo, quod est *evanescere*, *oblivione obrui*, *abrogari*, tal. Metus *exolescit* 1, 4, 4. 3, 21, 3. Ea pars legis, quæ jam pridem consensu quodam *exolevisset* 10, 114 (115), 3. Pan. 85.

Expandere, quam vocem Lucr. per translationem posuit eadem fere significatione, qua *exponere*, *explicare*, ante argenteam ætatem propria significatione apud Ov. Her. 15, 159 exstat, quamquam lectio incerta est. Apud Plinium positum est de flumine supra ripas effuso. Cum *expanditur* (amnis) Pan. 30. (Mel.).

Expavescere et absolute, ut aiunt, positum est; *Expavit* 5, 5, 6. (Liv. post.); et cum acc. conjunctum, ut apud Hor. (Od. 1, 37, 22) et post. Adventum tuum non pater quisquam, non *maritus* expavit Pan. 20.

Expirare, quam vocem jam Sall. (Hist. 1, 30) posuit eadem significatione, qua *mori*, apud Plinium, præeunte Livio (28, 28, 11), per translationem dicitur pro eo, quod est *exstingui*. *Expirante* jam libertate Pan. 57. (Poët. Plin. maj. al.).

Exsequi i. s. q. *ulcisci*. Veniebat in mentem priores nostros etiam singulorum hospitum injurias voluntariis accusationibus *exsecutos* 3, 4, 5. (Liv. post.).

Extendere. Hoc verbo Plinius Livium et poëtas secutus variis modis usus est, 1) de loco: Cryptoporticus prope publici operis *extenditur* 2, 17, 16. 2) de tempore: Variis sermonibus vespera *extenditur* 9, 36, 4. Non tempus epularum tuarum *extendit* humanitas? Pan. 49. Cfr. 8, 7, 1. *Extendendi* consulatus Pan. 61. 3) *Extenderem* preces 2, 13, 11. *Extendi* epistulam 3, 5, 20. 7, 9, 16. 9, 10, 2. Librum *extendimus* 4, 5, 4. 4) per translationem i. s. q. *propagare*. Memoriam sui operibus *extendunt* 5, 5, 4. 7, 31, 5. Aliorum famam cum sua *extendere* 5, 8, 1. Amissi caritatem desiderio *extendas* 9, 9, 1.

Exuberare i. fere s. q. *abundare*. Usibus nostris annus *exuberet* Pan. 29. (Verg. post.).

Fallere apud Plinium, ut sæpe apud poëtas et Livium absolute, ut aiunt, ponitur. Ille *fefellit* et latuit 4, 25, 2. (Cfr. Liv. 8, 20, 5. 25, 9, 2. al.).

Finiri apud Plinium i. s. q. *mori*. Qui morbo *finiuntur* 1, 12, 2. (Poët. ap. Cic. Tusc. 1, 48, 115. Sen. Ep. 9, 3 (74), 26. Tac. Just. Val. Max.). Præterea commemorandum est Krebsium non optimo jure negasse, *vitam finire* nisi de voluntaria morte usurpari, nam ap. Plin. legitur. Tanti viri mortalitas magis *finita* quam vita est 2, 1, 10; quamquam fortasse in hoc exemplo verbum cum mortalitatis voce proxime cohærere existimandum est.

Fluitare. Poëtarum more dixit: *Fluitantia* vela Pan. 81. (Lucr. Ov. Prop. Catull. Propria significatione de navibus et ejusmodi rebus etiam apud optimos scriptores invenitur).

Hebetare, qua voce Livius (8, 10, 3. 30, 35, 8) propria significatione usus est, apud Plinium per translationem dicitur more poëtarum. Ingenia nostra *hebetata* sunt 8, 14, 9. Cfr. 3, 15, 4. Pan. 70. Propria significatione positum est Pan. 18. (Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 388).

Immittere i. s. q. *subornare*. A dissimillimis delator *immissus* 6, 31, 3. (Sall. Cat. 48, 8. post.).

Imperare i. e. q. *vim inferre*, *nimium exigere*. Nimis *imperat* voci 5, 19, 6. (Verg. Georg. 1, 99. post.).

Imperitare. Validior toto corpore animus *imperitet* Pan. 82. (Plaut. Lucr. Hor. Sall. Liv.).

Imputare. Hanc vocem, præeunte Ovidio, qui eam novasse videtur, posteriores scriptores frequentarunt eadem significatione, qua *ascribere*, *assignare*, *laudi*, *vitio tribuere*, atque et in bonam et in malam partem posuerunt. Eidem civitati *imputata* sunt terna milia 10, 43 (52), 3. Alii transeunt *imputantque* quod transeant 8, 21, 4. Cfr. Pan. 24. 39. 71. Cum accusativo conjunctum est. Quæ *imputare* non possis Pan. 20. Cum dativo. Nihil *imputari* in eo vel honori potest vel exemplo nisi obsequium Pan. 57. 59. 68. Tibi *imputabis*, si digna ne epistula quidem videbuntur 6, 20, 20. 9, 13, 26.

Incandescere vox est poëtica, qua Plinius uno loco usus est. Pars magna terrarum alto pulvere *incanduit* Pan. 30. (Verg. Ov. Catull. 64, 13. post.).

Incessere, quod apud poëtas et Livium sæpius dicitur propria significatione pro eo, quod est "invadere, aggredi", apud posteriores per translationem ponitur, id quod rarius est apud superiores. Homines, cum rem destruere non possunt, jactationem ejus *incessunt* 1, 8, 15. (Ov. Trist. 3, 11, 31. Met. 13, 232. Liv. 37, 57, 15).

Includere de tempore dicitur, quo aliquid finitur. Hujus actionem vespera *inclusit* 2, 11, 18. (Ov. Met. 10, 78. Hor. Od. 4, 13, 16. Prop. 3, 7, 54. post.).

Increscere i. fere s. q. simplex *crescere*. *Increverat* valetudo 1, 12, 9. 7, 19, 3. Amplissimis operibus *increscat* (ingenium) 8, 4, 3. (Ov. Liv. post.).

Indurare propria significatione dicitur. Frequens et contrarius fluctus *indurat* (litus) 2, 17, 27. (Ov. Plin. maj. Cic. Fragm., ed. Klotz, Pag. 349, 16. Per translationem in participio vocem posuit Liv. 30, 18, 3).

Indurescere, qua voce maxime poëtæ Augusteæ ætatis, et qui postea fuerunt scriptores, usi sunt, apud Plinium per translationem ponitur pro eo, quod est usitatius *obdurescere*. Obstinate magis ac magis *induruisse* 1, 12, 10. (Ov. Trist. 5, 5, 5. post.).

Inerrare. Præterquam quod Cicero (Nat. Deor. 2, 21, 55) "stellas inerrantes" dixit, hæc vox satis rara non videtur nisi apud poëtas et scriptores, qui post Augustum fuerunt, in usu fuisse. Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam *inerrare* 1, 6, 3. 9, 17, 1. Memoria imaginis oculis *inerrabat* 7, 27, 6. (Tibull. 4, 1, 202. Stat.).

Inlidere. Vel litori vel sibi *inlisæ* terunt teruntur que (insulæ) 8, 20, 5. Juvabat *inlidere* solo superbissimos vultus Pan. 52. (Varr. R. R. 3, 7, 10. Cic. poët. Tusc. 3, 31, 76. Verg. Ov. al.).

Innectere. Quæ scribis complere apes floribus et *innectere* videntur 4, 3, 3. (Verg. Ov. post.).

Insonare. Illa scribentis capiti catenis *insonabat* 7, 27, 9. (Verg. Ov. post.).

Insurgere. Satis insolenter Plinius dixit: Invigilare publicis utilitatibus et *insurgere* Pan. 66 ad similitudinem locutionis, quæ apud poëtas frequens est "remis insurgere." (Cfr. Ov. Met. 9, 445. post.). Sunt etiam, qui existiment, verbum hoc loco absolute, ut aiunt, positum esse atque idem significare, quod *animum resumere*.

Intercidere. Insolenter Plinius dixit: Corrupto scribæ servo interceperat commentarios *intercideratque* 6, 22, 4, quamquam non potest dici omnino novum esse hunc usum.

Interfari dicitur pro eo, quod est *interpellare*. Quem *interfari* nefas esset 1, 23, 2. (Verg. Liv. Val. Max.).

Interjacere i. s. q. *interjectum esse*. Transitu *interjacente* 2, 17, 9. 22. 10, 33 (42), 1. 10, 61 (69), 2. Sequ. accus. 5, 6, 32, ut apud Liv. 7, 29, 6. 27, 41, 4.

Interloqui. Hæc vox rarissima i. s. q. *interponere*, *interpellare*. Raro et breviter *interlocutus* 7, 6, 6. (Ter. Gell. Sen. Ben. 4, 26, 1. Clem. 1, 9, 9, qui loci in omnibus lexicis omissi sunt).

Intumescere poëtarum more dicitur de mari: Fluctibus *intumescat* 8, 20, 5; atque etiam per translationem ponitur pro eo, quod est *superbire*, *efferri*. Numquam secundis rebus *intumuit* 7, 31, 3. (Ov. Met. 5, 305. post.).

Lassare dicitur pro eo, quod est *fatigare*, *defatigare*. Nec umquam in hoc opere aut animus tuus aut fortuna *lassetur* Pan. 61. Ep. 3, 9, 9 contra in novissima editione Keilii legitur *laxaretur*. (Ov. Prop. post.).

Mancipare dixit pro eo, quod est usitatius *emancipare*. *Mancipatum* captabat (Regulus) 4, 2, 2. Agrum actori publico *mancipavi* 7, 18, 2. (Plaut. Hor. post.). Contra 10, 4 (3), 3 legitur: Fundos *emancipavit*, ut ap. Suet. Oth. 4. Quint. I. O. 6, 3, 44.

Meare vox est poëtica, qua Plinius de flumine usus est. Alte conditum *meat* (flumen) 8, 20, 9. (Lucr. Ov. Hor. post.).

Mussare. *Mussantibus* magnis quibusdam 3, 11, 2. 7, 1, 5. (Plaut. Verg. Liv. Sall. Hist. 1, 48, 3. 3, 61, 8).

Nectere. Jam tibi compedes *nectimus* 9, 28, 4. (Verg. Ov. Hor. Sall. Hist. 1, 21. 4, 1).

Nitescere de armentis dicitur. Armenta herbis et tepore verno *nitescunt* 2, 17, 3. (Verg. Aen. 6, 654 eodem modo verbo usus est. Apud Nep. Eum. 5 adjectivum, quod est "nitidus", de equis positum est).

Noscitare i. s. q. *noscere (studere)*. Alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus *noscitabant* 6, 20, 14. 9, 6, 2. 9, 23, 5. (Plaut. Liv. Catull. post.).

Nutrire, præeuntibus Ov. Hor. Catull. Liv., apud posteriores scriptores frequentissimum est eadem significatione qua *alere*. Cuncta perennibus rivis *nutriuntur* 5, 6, 11. Liberi civium ut ferarum catuli sanguine et cædibus *nutriuntur* Pan. 27.

Oberrare post Horatium a posterioribus usu tritum est. Imaginem oculis *oberrasse* 9, 13, 25. Cfr. Pan. 49. 61.

Obluctari. *Obluctantis* animæ 4, 30, 6. (Verg. Aen. 3, 38. post.).

Occursare. Plinius, quippe qui verbis plenum quiddam sonantibus delectaretur, hac voce usus est in nonnullis locutionibus, ubi superiores scriptores "occurrere" usurparunt. Variæ autem sunt apud Plinium hujus vocis significationes. 1) i. s. q. *in mentem venire*, *menti occurrere*. Sensus reconditi *occursant* 2, 3, 2. *Occursant* animo mea mortalitas, mea scripta 5, 5, 7, Ad illam significationem jam Plautus (Mil. 4, 2, 56) viam munivit. 2) i. s. q. *apparere*, *occurrere oculis*. *Occursabant* trepidantibus adhuc oculis mutata omnia 6, 20, 18. 3) i. s. q. *obviam ire*, *occurrere*, *prævenire*. *Occursare* fortunæ Pan. 25. (Cfr. Sall. Jug. 85, 3). 4) i. s. q. adorandi causa ad *simulacra deorum accedere*. *Occursare* numinibus Pan. 81. (Cfr. Liv. 2, 45, 10).

Patescere. Via *patescit* 2, 17, 3. Cfr. 5, 6, 32. *Patescit*, cum separaris a turba, contemplatio rerum 2, 11, 7. (Lucr. Verg. Ov. Liv. post. Cic. Phil. 14, 6, 15 nunc legitur "patefecit").

Pendere 1) de flaccidis, fluentibus membris corporis dicitur. *Pendent* lacerti 3, 6, 2. 2) de eo, qui attento animo aliquem audit. Sequaris monentem attentus et *pendens* 1, 10, 7. (Verg. Ov. post.).

Pensitare dicitur pro eo, quod est *considerare*, *perpendere*, *deliberare*. *Pensitatus* amor liberalitatis 1, 8, 9. Malui omnia a te *pensitari* quam electa laudari 4, 14, 6. Cfr. 4, 15, 8. 7, 9, 3. Notas eorum cum uno aut altero *pensito* 7, 17, 7. (Liv. post.).

Perambulare. Hæc (prædia) *perambulanti* mihi ostenditur subjacens lacus 8, 20, 3. (Plaut. Varr. Ov. Hor.).

Percoquere fructus dicitur pro eo, quod est usitatius "coquere" (Cfr. Cic. Sen. 19, 71). Opimam messem serius tantum, sed non minus *percoquunt* (colles) 5, 6, 8. (Ov. Sen.).

Percursare. Hæc vox rara apud Liv. Tac. Plin. exstat. Nostra agmina *percursare* ripas Pan. 12.

Pererrare. Hedera truncos et ramos *pererrat* 5, 6, 32. (Verg. Ov. Hor. post.).

Perrogare. Cum sententiæ *perrogarentur* 4, 22, 3. Statim de Atticino *perrogavit* 6, 22, 5. Pan. 60. (Liv. post.).

Pinguescere i. e. q. *pinguem fieri*. (Aegyptus) proprio amne perfusa *pinguescere* Pan. 30. (Verg. post.).

Præcingere apud Plinium idem fere significat, quod *obducere*. Testaceo opere *præcincti* (parietes) 10, 39 (48), 4. (Ov. Prop. post. Cic. Fragm., ed. Klotz, Pag. 205 legitur: "Cum strophio præcingerere").

Præpedire pro eo, quod est *impedire*. Oculi manus *præpediuntur* 2, 19, 4. Pan. 68. (Sall. Liv. poët. post. Cic. Rab. perd. 7, 21, qui locus in lexicis allatus est, nunc legitur in editione Klotzii "perditus").

Prætegere non videtur ante Plinii ætatem in usu fuisse, nam Prop. 3, 14, 12 (ed. Hertzberg), pro quo loco in lexicis Freundii et Forcellinii injuria laudatus est 3, 12, 12, in optimis codicibus et editionibus (Cfr. edd. Hertzbergii et Keilii 4, 13 (14), 12) legitur "protegit." Quæ somnum saxa *prætexerint* Pan. 15.

Prætexere insolenter positum est ad similitudinem poëtarum consuetudinis dicendi. Tibi maximus honor excubare pro templis postibusque *prætexi* Pan. 52. (Gierig contulit Tibull. 3, 1, 11. Ov. Fast. 5, 568 (7).

Prævalere i. s. q. *plus*, *plurimum valere*, *superiorem esse*. *Prævaluit* sententia Cæpionis 4, 9, 18. Cfr. 2, 11, 6. 6, 20, 19. 8, 14, 21. 24. Sermones ex eventu *prævalebunt* 5, 9 (21), 7. (Præterquam apud Liv., qui voce saltem in participio posita usus est, non videtur ante argenteam ætatem inveniri, sed apud Plinium et æquales vox usitatissima est.

Prævenire uno loco apud Sallustium (Jug. 71, 5) legitur; præterea non videtur nisi apud Livium, poëtas, posteriores scriptores inveniri, nam locus ille Ciceronis (Off. 3, 7, 33) mutatus est. Paratam editionem morte *præventam* 9, 1, 3. Finem potestatis alterius (altera) *prævenit* Pan. 92 [1]).

Prominere. Valvis in viridia *prominet* et exit 5, 6, 38. Cfr. 5, 6, 26. 6, 24, 2. (Ov. Hor. Liv. Sall. Hist. 2, 2. Injuria Freund in lexico contendit, Ciceroni et Cæsari vocem omnino inusitatam esse, nam certe exstat Cæs. B. G. 7, 47).

Prorepere. Aegri quoque ad conspectum tui *prorepere* Pan. 22. (Hor. post.).

Prorogare. Quod Plinius hac voce usus est eadem translatione, qua Cicero aliique solent verbo "propagandi" uti, nescio an existimandum sit eam locutionem ex poëtarum loquendi consuetudine fluxisse [2]). Spiritum homini *prorogarent* 2, 20, 7. Cujus memoriam *prorogat* et extendit 7, 31, 5. Cfr. 9, 9, 3. 9, 19, 3. (Hor. post.).

Provenire per translationem dicitur eadem significatione, qua *nasci*. Ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate *proveniunt* 8, 19, 2. (Plaut. Næv. ap. Cic. Sen. 6, 20. Sall. Cat. 8, 3).

Quassare, quod apud Ciceronem per translationem ponitur, apud Plinium propria significatione usurpatur. *Quassatis* circumjacentibus tectis 6, 20, 6. (Lucr. Ov. Liv. 21, 40, 9. 23, 34, 17).

Recalescere per translationem ponitur. *Recalescere* ex integro 7, 9, 6. (Ov. Rem. Am. 629. post.).

Recensere i. s. q. *commemorare*, *persequi*. Longum est omnia quæ tunc hinc inde jacta sunt *recensere* 9, 13, 8. Cfr. 1, 8, 15. (Verg. Ov. post. Cic. Att. 16, 1, quem locum Schütz in lexico Ciceroniano attulit, nunc emendatus est).

Recitare. Omnibus est notum imperatorum præcipue temporibus increbruisse consuetudinem scripta palam legendi, quod *recitare* dicebatur. Ut librum *recitaret* 1, 5, 2. Nullus fere dies, quo non *recitaret* aliquis 1, 13, 1. 2, 19, 1. 3, 18, 4. 4, 7, 2. 7, 17, 2. (Ov. Hor. post.). Ipse recitandi actus dicebatur *recitatio*. Quorum *recitationibus* adfui 1, 13, 6. 3, 7, 5. 3, 15, 3. 3, 18, 4. 5, 17, 4. 7, 17, 4.

---

[1]) Injuria Krebs, l. l. s. v. contendit, hoc verbum apud Livium primum exstare, atque injuria Doering in ed. Plin. Epp. laudavit Sall. Jug. 22.

[2]) Cfr. quæ de verbis "propagandi et prorogandi" disputavit Krebs, l. l.

Is qui opuscula sua legit *recitator* dicebatur. Sibi nuntiari jubent, an jam *recitator* intraverit 1, 13, 2. (Hor.).

Recludere vox est poëtica, qua posteriores scriptores et propria significatione et per translationem usi sunt. (Fortuna) principum cubicula ipsa intimosque secessus *recludit* Pan. 83. Cfr. Pan. 29. Principis justitiam gravitatem comitatem in secessu, ubi maxime *recluduntur*, inspicere 6, 31, 2. (Plaut. Lucr. Verg. Ov. Hor. post.).

Recumbere pro eo, quod est usitatius *accumbere* mensæ, poëtarum more Plinius dixit. Animadvertit qui mihi proximus *recumbebat* 2, 6, 3. 4, 22, 4. 9, 23, 4. (Hor. post.).

Referre sæpissime idem significat, quod *narrare*, *exponere*, ut apud poëtas et Livium [1]). Magnificum *referente* alio fuisset 1, 8, 15. Cfr. 2, 14, 12. 2, 18, 2. 3, 5, 17. 3, 9, 25. 3, 16, 2. 5, 6, 3. 5, 6, 45. 5, 19, 7. 6, 5, 5. 9, 19, 5. 9, 33, 1. De eo, qui similitudine aliqua memoriam alterius revocat, dictum est. Non minus mores ejus quam os vultumque *referebat* 5, 16, 9. (Poët. Liv. 10, 7, 3). Cfr. 4, 2, 1. 7, 19, 9, quibus locis *reddere* poëtarum more eadem significatione positum est: *Reddit* ac *refert* nobis (matrem) 7, 19, 9. Cfr. 9, 22, 1.

Refundere insolenter dictum est. *Refudimus* Nilo suas copias. Pan. 31. Cfr. Pan. 40. (In eodem genere lexicographi posuerunt Verg. Aen. 7, 590).

Relucere. Latissimæ flammæ altaque incendia *relucebant* 6, 16, 13. Cfr. 8, 8, 2. Pan. 52. Impersonaliter, ut aiunt, positum est. Paulum *reluxit* 6, 20, 16 (Cic. Arat. Nat. Deor. 2, 42, 107. Verg. Ov. Liv. post.).

Reluctari et propria quodammodo significatione dicitur de ventis: Etesiæ *reluctantur* 10, 15 (26). Ventos *reluctantes* Pan. 81. (Ov. post.); et per translationem. *Reluctante* ætate 2, 1, 5. *Reluctata* verecundia principis Pan. 60. (Vell. Quint. Curt. al.).

Rependere poëtarum more dicitur. Nemo incolumitatem turpitudine *rependit* Pan. 44. (Verg. Ov. post.).

Repercutere. Est aliquid quod hujus fontis excursum *repercutiat?* 4, 30, 8 (Verg. Ov. Liv. post.).

Reptare i. fere s. q. *repere.* Frequentior currentibus quam *reptantibus* lapsus 9, 26, 2. Cfr. 1, 24, 4. (Lucr. Hor. post.).

Repurgare, quo verbo etiam Livius propria significatione usus est, apud Plinium, præeunte Ovidio, per translationem est dictum. Recisa ac *repurgata* in unum librum coartasse 1, 20, 8.

---

[1]) Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 2, 30, 97.

Resolvere. Poëtarum more Plinius dixit: Frenatam tot malis linguam *resolvimus* Pan. 66. (Verg. Ov. post.).

Resorbere. Mare in se *resorberi* videbamus 6, 20, 9. Cfr. 4, 30, 7. (Lucr. Verg. Ov. Hor. post.).

Resumere apud Plinium et proprie et per translationem ponitur. Modo prætextas exuerant; *resumant* Pan. 61. Quin pugillares *resumis?* 7, 9, 16. (Enn. ap. Varr. Ov. post.). Dulcissimam ætatem quasi *resumo* 2, 18, 1. 4, 9, 11. 4, 13, 2. 5, 6, 12. 7, 9, 6. Pan. 66. 79. (Ov. post.).

Revocare. Postquam poëtæ hanc vocem de rebus frequentare coeperunt, Plinius dixit: Pecuniæ quas creditoribus solverat *revocarentur* 3, 9, 17. 10, 17 (28), 5. 10, 23 (34), 2. (Suet. Ner. 32. 44. Galb. 15).

Revolvere de libro dictum i. s. q. *evolvere*, *pervolutare.* Eumque (librum) ad extremum *revolvisse* 5, 5, 5. (Hor. Liv. post.).

Secare de flumine dicitur pro eo, quod est *dividere.* Medios agros *secat* (Tiberis) 5, 6, 12. (Verg. Ov. Hor. post.).

Sedere per translationem eadem significatione dicitur, qua *insidere.* Altius in animo *sedent* quæ pronuntiatio, vultus, gestus adfigit 2, 3, 9. Pan. 55. (Verg. Ov. post.).

Signare poëtarum more positum est in locutionibus nonnullis. Factum meum antiquum notabili honore *signavit* 5, 1, 11, Equestris ordinis decora honore nominum sine monitore *signares* Pan. 23. Cfr. Vota *signari* 10, 35 (44).

Sinuare. Duo baptisteria velut ejecta *sinuantur* 2, 17, 11. (Verg. Ov. post.).

Sistere i. s. q. *cohibere*, *coërcere.* Africum *sistit* (cryptoporticus) 2, 17, 17. Cfr. 4, 30, 6. Videtur *sisti* et corrigi posse (contagio) 10, 96 (97), 9. (Verg. Ov. Liv. post.).

Solidare. Vis qua fracta *solidantur* 8, 20, 4. (Verg. Vitr. post.).

Sordere per translationem dictum idem fere significat, quod *contemptui esse.* Incesti principis statuis permixta deorum simulacra *sorderent* Pan. 52. (Verg. Hor. Liv. post.).

Stridere. *Stridunt* funes 9, 26, 4. (Lucr. Verg. Ov. post.).

Sublabi. Quæ (ædificia) sunt vetustate *sublapsa* 10, 70 (75), 1. (Verg. Sen.).

Subvertere per translationem dicitur. Antiquiora beneficia *subvertas*, nisi illa posterioribus cumules 3, 4, 6. (Ter. Lucr. Sall. post.).

Superesse i. s. q. *superstitem esse.* Isti latroni *supersim* Rufus ap. Plin. 1, 12, 8. Cfr. 2, 1, 9. 3, 20, 5. 5, 21 (9), 4. (Plaut. Asin. Pollio ap. Cic. Fam. 10, 33, 5. Liv. Suet.).

Superfundere propria significatione dictum est. Tiberis demissioribus ripis alte *superfunditur* 8, 17, 1. 9, 33, 9. (Ov. Liv. post.).

Superponere. Apodyterio *superpositum* est sphæristerium 5, 6, 27. (Ov. Liv. post.).

Suscipere propria significatione dicitur: Aqua *suscepta* marmore albescit 5, 6, 24. 36; atque idem fere significat, quod *fulcire:* Fulturæ ac substructiones, quibus subinde *suscipitur* (theatrum) 10, 39 (48), 2. (Lucr. Verg. Prop. post.).

Suspendere pro eo, quod est *incertum reddere*, dicitur. Diu miseram expectatione *suspendit* 2, 20, 3. (Ov. post. Cfr. Liv. 39, 29, 1).

Terere i. s. q. *frequentare.* Unam semitam *terere* 1, 24, 4. Inascensum superbiæ principum locum *terere* Pan. 65. Cfr. Pan. 50. (Lucr. Verg. Ov. Hor. al.).

Torpere per translationem dicitur. Iidem *torpere* militaria studia gaudebant Pan. 18. (Liv. Sallustius (Cat. 16, 3. Jug. 2, 4) eadem significatione dixit torpescere).

Umescere. Vidimus *umescentes* oculos tuos Pan. 73. (Verg. Pallad.).

Venerari, quod apud optimos scriptores præcipue ponebatur de diis vel de rebus divinis, apud poëtas et posteriores scriptores frequenter ita usurpari coeptum est, ut diceretur omnino pro eo, quod est *colere, revereri, observare.* Poëticen religiosissime *veneror* 3, 15, 2. Cfr. 3, 7, 8. 4, 28, 2. 7, 31, 5. Pan. 28. Omnes qui aliquid in studiis faciunt *venerari* etiam mirarique soleo 6, 17, 5. Pan. 33. (Cfr. Cic. Phil. 10, 2, 4).

Alia multa addi possunt, sed forsitan jam videar nimius fuisse, cum multa verba attulerim poëtarum aliorumque usu satis trita; at cum invenirem in lexica nonnullos errores irrepsisse, cumque viderem, multa ab Holstenio minus accurate esse disputata, non supervacaneum existimavi etiam de iis verbis, quæ aliter posse omitti putarem, mentionem facere, ut mihi copia esset prava quædam corrigendi, addendi deficientia.

Quemadmodum, ut supra demonstravi, verba "copulata" nonnumquam ponuntur pro "simplicibus", sic contra "simplicia" ponuntur pro "copulatis", velut:

Crebrescere pro eo, quod est usitatius *increbrescere. Crebrescere* fragor 7, 27, 8. (Verg. Quint. Tac. al.).

Ligare pro eo, quod est usitatius *colligare.* Se cum marito *ligavit* abjecitque in lacum 6, 24, 5. (Ov. Hor. Prop. post.).

Ponere de cibo dicitur pro eo, quod usitatius est *apponere.* Ceteris vilia et minuta *ponebat* 2, 6, 2. (Cat. Hor. Ov. post.).

Rapi dicitur pro eo, quod est usitatius *abripi.* Doleo illum immatura morte indignissime *raptum* 6, 6, 7. 9, 9, 3. (Verg. Ov. Hor. post.).

Solari pro eo, quod est *consolari.* Desiderium fratris amissi *solari* 8, 11, 3. (Plaut. Verg. Ov. Hor. post.).

Tenuare pro eo, quod est *extenuare.* Caligo *tenuata* quasi in fumum nebulamve discessit 6, 20, 18. (Verg. Ov. Hor. Prop. post.).

Truncare pro eo, quod est *detruncare.* Illud e ligno (signum) quibusdam sui partibus vetustate *truncatum* est 9, 39, 4. *Truncata* membra Pan. 52. (Ov. post.).

Vanescere pro eo, quod est *evanescere.* Quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente *vanescit* 1, 8, 15. Cfr. 6, 16, 6. (Ov. Catull. post.).

Nonnullæ apud Plinium inveniuntur formæ verborum minus usitatæ, quarum has annotandas putavi:

Ambibat 6, 33, 3 [1]). Adsenserunt 2, 11, 20. 5, 13 (14), 5. Usitatior quidem est forma passiva, quamquam ne optimi quidem scriptores omnino repudiarunt activam formam.

Adcucurrit 2, 1, 8. Decucurrit 3, 7, 2. 3, 20, 7. 6, 6, 2. Excucurrissem 3, 4, 2. Contra legitur Occurrerit 4, 27, 3. Occurrisse 7, 27, 3 [2]).

Ausim 4, 4, 3. 9, 13, 25 [3]). Defervisse, pro qua forma existimant, aurea ætate fuisse in usu "deferbuisse", apud Plin. legitur 9, 16, 2. Commemorandum est tamen apud Cic. Or. 30, 107 (ed. Klotz) legi "defervisse", Brut. 91, 316 "deferverat." Explicui 4, 27, 3. 7, 4, 7. 8, 1, 1 [4]). Explicitum 7, 12, 3 [5]). Adplicitum 2, 17, 23 [5]). Inplicitum 3, 9, 19. 7, 16, 1. 7, 19, 2. 7, 27, 3. 7, 27, 11. 9, 13, 24 [5]). Inlacrimasse 3, 7, 13. Ciceronem dicunt semper passiva forma hujus verbi usum esse, sed in carmine saltem ex Græco sermone in latinum converso legitur "illacrimasse" Tusc. 2, 9, 21.

Innisus 10, 52 (60) [6]). Usitatior est forma "innixus." Fenero 3, 19, 8. Ciceroni non videtur nisi passiva forma in usu fuisse.

---

[1]) Cfr. Madvig, "Latein. Sprachl." § 158.

[2]) Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 361, sequ.

[3]) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th., Pag. 424.

[4]) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th., Pag. 370. Haase ad Reisigii scholas, Pag. 250, Not. 292.

[5]) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th., Pag. 431.

[6]) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th., Pag. 449. Häggström ad Cæs. B. G. 2, 27. Upsala 1862. Loci Livii 28, 15, 5. 44, 33, 9, quos Neue attulit, in editione Madvigii correcti sunt.

Insignire 8, 22, 4. Ciceroni non videtur nisi part. perf. pass. in usu fuisse. Cfr. Liv. 4, 29, 6.

Tuitus sum Iulium Bassum 6, 29, 10 [1]). Usitatior est forma "tutatus sum."

Rarius evenit saltem apud meliores sol. or. scr., ut tempora composita, quæ vocantur, per *fui*, *fueram*, *fuero* cum part. perf. pass. conjuncta fingantur, nisi participium adjectivi vicem sustinet. Apud Plinium nonnullæ tales sunt conformationes, velut: Fuerit repertus 4, 13, 11. Auctus fuerat 8, 18, 3. Adjutus fuerat 8, 23, 2. Professa fuerat 10, 4 (3), 2. Dimissus fueras Pan. 23. Subditi fuerant Pan. 25. Septus fuerit Pan, 49 [2]).

Formas, quales sunt: Venabere 1, 6, 3. Utare 1, 19, 3. Reverebare Pan. 19. Subsequebare Pan. 23. Precabare Pan. 44. Merebare Pan. 56. Vocarere Pan. 21, hic illic apud Plinium exstare, ut apud Ciceronem aliosque, vix me opus est commemorare.

De Adverbiis.

His fere adverbiis Plinius primus videtur usus esse.

Capitaliter. Reminiscebatur, quam *capitaliter* me lacessisset 1, 5, 4.

Custodite pro eo, quod est *moderate*, *caute*, *temperanter*, dicitur. Ut parce *custoditeque* ludebat! 5, 16, 3. Jam illa *custoditius* pressiusque 9, 26, 12.

Destricte pro eo, quod est *aperte*, *severe*, *acriter*, dicitur. *Destricte* minatus numquam me postea rogaturum 9, 21, 4. Hæc translatio ducta esse videtur a gladio destricto.

Exultanter (ἀπ. εἰρ.) i. fere significat, quod *immodice*, *immoderate*, *effuse*. Illa quæ hilarius et quasi *exultantius* scripsi 3, 18, 10.

Historice (ἀπ. εἰρ.) dicitur fere pro eo, quod est *more historicorum*. Descriptiones locorum non *historice* tantum, sed prope poëtice prosequi fas est 2, 5, 5. (Vitr. 6, 10, quem locum Klotz laudavit, nunc legitur "historia").

Inreverenter (ἀπ. εἰρ.) i. s. q. *sine reverentia*. Ad declamandum transierunt *inreverenter* et temere 2, 14, 2. 6, 13, 2.

[1]) Reisig, Vorlesungen, Pag. 236, erravit, eumque secutus est Krebs, Antib. s. v.

[2]) Cfr. de hac re Neue, l. l. Zw. Theil, Pag. 266, sequ. Haase ad Reisigii scholas, Not. 447.

Reverenter, quod etiam apud æquales aliquot, velut apud Tac. et Suet. legitur, apud Plinium nonnullis locis exstat pro eo, quod est *cum reverentia*, *observantia*. Quam *reverenter* amicos colat 7, 31, 5. Cfr. 3, 21, 5. *Reverentissime* et officiosissime venit ad me 10, 21 (32).

Mortifere. Cæcina Pætus ægrotabat et filius, uterque *mortifere* 3, 16, 3, (Dig.). (Alii dicunt fere: "mortifero morbo implicatum esse, ægrotare").

Puellariter i. e. q. *more puellæ*. Se prægnantem esse *puellariter* nescit 8, 10, 1.

Redundanter i. q. *abundanter*. Audis frequenter ut illud "immodice et *redundanter*" ita hoc "jejune et infirme" 1, 20, 21.

Scurriliter i. q. *scurræ in modum*. Tam *scurriliter* ludat 4, 25, 3. (Just. 24, 6, 4).

His novam imposuisse vim videtur:

Arte. Quamquam hoc vocabulum et proprie et per translationem varie usurpatur, quantum equidem scio, tamen nemo præter Plinium dixit *arte* diligere eadem significatione, qua *familiariter* diligere. Hunc ego *arte* familiariterque dilexi 2, 13, 5. Hunc ego *artissime* diligo 6, 8, 1. Fuerunt, qui dubitarent, num illa locutio latina esset.

Latine. Fortasse non est omnino silentio prætereundum Plinium ad similitudinem locutionis, quæ est "latine scire, discere", dixisse *latine docere*, quod num quis alius fecerit, nescio. (Græcos) *latine* hujus libelli amor docuit 7, 4, 9.

Minute scribere pro eo, quod est *minutis litteris* scribere, Plinius solus videtur dixisse. Electorum commentarios mihi reliquit *minutissime* scriptos 3, 5, 17. (Cic. dixit: "Minute dicere, tractare", tal.).

Proxime de tempore futuro nemo, quod equidem potuerim invenire, præter Plinium posuit, quamquam adjectivum, quod est "proximus" et de præterito tempore et de futuro usurpatur. Cum in urbem *proxime* veneris 1, 10, 11. Cum *proxime* res agentur 4, 29, 1. 5, 7, 4.

Salubriter, quod apud veteres scriptores dicitur, ubi de valetudine vel utilitate quæritur, Plinius posuit de pretio modico. Prædiolum istud *salubriter* emerit 1, 24, 4. Attendemus ergo ut quam *saluberrime* reficiantur 6, 30, 3.

Hæc ei cum æqualibus sunt communia:

Culte dicitur fere pro eo, quod est *polite*, *limate*. Dixit pro Vareno Homullus callide acriter *culte* 5, 20, 6. (Sen. Quint. Val. Max. Just.).

Excusate. Exoratus *excusatius* facies 6, 21, 3. (Sen. Ir. 2, 32, 1, Quint. Tac. Just.).

Impatienter. (Juvenem) *impatienter* requiro 2, 7, 6. *Impatientius* careas 6, 1, 1. Dolet ut qui *impatientissime* 9, 22, 2. (Tac. Just.).

Innoxie. Dixit causam Claudius Ariston, homo munificus et *innoxie* popularis 6, 31, 3. (Plin. maj.).

Instanter i. s. q. *acriter*, *vehementer*. Respondit Herennius Pollio *instanter* 4, 9, 14. Cfr. 5, 19, 6. 7, 22, 1. Tum idem ille ex Hispania amicus acrius et *instantius* (inquit) 6, 20, 10. (Quint. Tac. Suet. Just.).

Invenuste i. s. q. *non venuste*, *illepide*. Julius Candidus non *invenuste* solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam 5, 20, 5. (Quint.).

Pigre. Ad audiendum *pigre* coitur 1, 13, 1. Pan. 71. (Sen. Plin. maj. Col.).

Notabiliter dicitur fere pro eo, quod est *insignite*, *insigniter*. Expalluit *notabiliter* 1, 5, 13. 5, 17, 5. (Tac. Suet.).

Obiter i. fere s. q. *per occasionem*. Non est simplicitatis meæ dissimulare apud bonitatem tuam *obiter* te plurimum collaturum utilitatibus rei familiaris meæ 10, 8 (24), 5 [1]). (Originem hujus verbi, quod "in via, in itinere" proprie significat, Priscianus duxit ex *ob* præpositione et substantivo, quod est iter, quæ vocabula putat in unum quasi conflata esse. In ipsis autem litterarum monumentis, quæ ad nostram ætatem manserunt, non exstat nisi apud scriptores argenteæ ætatis, velut apud Plin. maj. Sen. Juv., qui posuerunt eadem fere vi, qua Cicero dixit "quasi præteriens, *ἐν παρόδῳ, ἐν παρέργῳ*)."

Principaliter i. s. q. *principis more*, *principi convenienter*. Mores juventutis quam *principaliter* formas! Pan. 47. (Sen.).

Secure. Me *secure* et prope neglegenter expectant 1, 4, 3. Subjacens mare longius quidem sed *securius* intuetur (cubiculum) 2, 17, 6. (Vell. Sen. Quint. Suet. Val. Max. Just.).

Sollicite i. s. q. *cum cura*, *sollicitudine*. *Sollicite* recitaturis providendum est 6, 15, 4. Cfr. 3, 8, 1. *Sollicitius* custodiendus est honor 1, 19, 4. Cfr. 1, 4, 2. 7, 17, 8. (Ov. Pont. 4, 6, 43 nonnulli legunt "sollicite" pro "solliciti." Sen. Quint. Suet. Sil.).

Splendide natus pro eo, quod est *nobili genere natus*, num ante argenteam ætatem in usu fuerit, dubito. Femina *splendide* nata 6, 33, 2. (Sen.).

Tenere. Multa *tenere* (int. scribit) 4, 27, 1. (Plin. maj. Tac. Petr.).

Tepide. Si natare *tepidius* velis, in area piscina est 5, 6, 25. (Col.).

---

[1]) Cfr. Krebs, l. l. s. v.

Hæc jam ante argenteam ætatem, sed rarius in usu fuerunt:

Carptim. Egit *carptim* et *κατὰ κεφάλαιον* 6, 22, 2. 8, 14, 16. Pan. 25. Respondebis non posse perinde *carptim* ut contexta placere 8, 4, 7. (Sall. Liv. post.).

Cunctanter. Lente *cunctanterque* veniunt 1, 13, 2. Pan. 30. 71. (Liv. Tac. Suet.).

Eloquenter. Non *eloquentius* scribitur 3, 18, 6. Respondit *eloquentissime* 2, 11, 17. 6, 21, 4. (Liv. auctorem laudavit Kühnast, l. l. Pag. 348).

Expresse per translationem pro eo, quod est *apte*, *vere*, apud Plinium dicitur. Mihi Atilius noster *expresse* dixisse videatur 2, 14, 2. (Auct. ad Her. Col. Val. Max.).

Generaliter pro eo, quod est usitatius *generatim*, *in universum*. Memini quidem te jam quædam adnotasse, sed *generaliter* 1, 8, 3. Accipe quid de universis *generaliter* judicem 4, 20, 1. (Cic. Inv. 1, 26, 39. Quint.).

Insatiabiliter. Quos ego cum recordor in re inani frigida adsidua tam *insatiabiliter* desidere, capio aliquam voluptatem 9, 6, 3. (Lucr. Quint. Tac.).

Intente pro eo quod est *attento animo*, *acriter*, *vehementer*. *Intentius* tui me quam mei excipiunt 1, 4, 2. Studiosius *intentiusque* legisti libros quos de Helvidi ultione composui 9, 13, 1. *Intente* instanterque pronunciat 5, 19, 6. (Auct. ad Her. Liv. post.).

Obsequenter. Vides quam *obsequenter* paream tibi 4, 11, 15. Vixit in contubernio aviæ delicatæ severissime et tamen *obsequentissime* 7, 24, 3. (Liv. 41, 10, 12).

Prompte. Corelliæ adero *promptissime* 4, 17, 11. (Auct. B. Afr. Cels. Tac. Juv. Val. Max.).

Serio eadem vi ponitur, qua *vere*, *non simulate*. *Serio* peto 1, 11, 1. Ille *serio* instabat 2, 20, 11. Cfr. 7, 12, 6. (Plaut. Ter. Liv. post.).

Valide adverbium non ita crebrum est. Te *validissime* diligo 3, 15, 2. Cfr. 1, 20, 22. 6, 8, 9. 9, 35, 1. (Plaut. Coel. ap. Cic. Fam. 8, 2, 1. post.).

Multa quidem, quæ in eodem genere sunt, adverbia possunt afferri; cum autem nemo non intelligat, quam vanum sit affirmare, adverbium optimis scriptoribus in usu non fuisse, quamvis sæpe inveniatur adjectivum, unde ductum sit, ne in re incerta longus sim, finem faciam. Adjectiva, unde ducta sunt multa etiam eorum, quæ supra commemoravi, adverbiorum, aurea quoque ætate haud raro inveniuntur, quamobrem cavendum est, ne nimis certa putentur, quæ de singulis adverbiis disputaverim. Quantum autem in litteris legendis et in lexicis, quæ diligenter inspexi, potui invenire, non dubitavi afferre, si quis forte dignum putaverit accuratius usum adverbiorum perscrutari.

Liquet autem omnibus facile forte quadam fieri posse, ut in litterarum monumentis exstent adjectiva, adverbia inde ducta non inveniantur, quamobrem audax videtur in hac re aliquid pro certo affirmare, præsertim cum in lexicis adverbiorum ratio magna incuria sit tractata.

Adverbia nonnumquam pro adjectivis ponuntur, id quod ne apud veteres quidem scriptores rarum est [1]). Canum *circa* mare 6, 31, 17. Germaniæ *latissime* victor ibi periit 3, 5, 4. *Undique* silvæ et solitudo ... magna cogitationis incitamenta sunt 1, 6, 2. Respondebis non posse perinde *carptim* ut contexta placere 8, 4, 7.

Adverbiorum formas minus usitatas has putavi afferendas:

Difficile pro eo, quod est usitatius *difficulter*. Ut vel *difficile* vel facile componi tenerive potuerunt 9, 36, 2 [2]).

Sublimiter. Multa tenuiter, multa *sublimiter* (int. scribit) 4, 27, 1 [3]).

De ratione syntactica.

Ne in syntactica quidem ratione Plinii perscrutanda quidquam annotavi, nisi quæ aut a consuetudine veterum scriptorum abhorrerent, aut apud eos minus usitata essent, quia supervacaneum putavi res tritas et pervulgatas attingere.

Hæc autem putavi afferenda:

Nominativus absol. positus structuræ illi, quæ abl. consequ. vocatur, interponitur: Cum in Tuscos excucurrissem accepto, ut *præfectus* ærari, commeatu, legati provinciæ Bæticæ advocatum me petierunt 3, 4, 2 [4]).

Genitivus subjectivus. *Pietatis* est totus 5, 16, 8. Talis usus genitivi jam inde a Livii ætate frequentissimus est [5]).

Genitivi objectivi minus usitata exempla hæc afferantur: Memoriam *sui* 5, 5, 4. Suffugium aut *imbris* aut *solis* 9, 39, 2; quamquam tales structuræ etiam apud veteres scriptores hic illic inveniuntur.

De *genitivo partitivo* vide, quæ disputavimus de adjectivis substantivorum loco positis. Præterea commemorandum est illum genitivum conjungi cum adverbio *eo*, ut jam apud Sall. Jug. 1, 5. 5, 2. 14, 3. Liv. 25, 8, 11. 41, 23, 1. Si quis barbarus rex *eo insolentiæ furorisque* processerit Pan. 16 [6]). Cfr. *Eo obsequii* Pan. 45. *Eodem loci* Pan. 1.

---

1) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 202, sequ. Kühnast, l. l. Pag. 52, sequ.
2) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th. Pag. 504.
3) Cfr. Neue, l. l. Zw. Th. Pag. 504.
4) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 263.
5) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 71, Not. 46.
6) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 26. Hand, l. l. s. v. *eo*, Pag. 419.

Genitivi qualitatis hæc exempla e multis arrepta afferantur. Cryptoporticus prope *publici operis* 2, 17, 16. Erat *somni paratissimi* 3, 5, 8, quamquam consimilia ne apud Ciceronem quidem desunt.

Boni consulere eadem significatione dicitur, qua apud veteres scriptores "accipere in bonam partem, bonum judicare." Quod si feceris, *boni consulam* 7, 12, 3. (Cat. apud Gell, 10, 3, 17. Ov. Trist. 4, 1, 106. Pont. 3, 8, 24. Quint. Plin. maj. Sen. Ben. 1, 8, 1. 2, 28, 2. — Liv. 34, 22, 13 et Ciceronem eadem fere significatione dixisse: "æqui bonique facere", Kühnast, l. l. Pag. 71. Not. docuit).

Refert cum genitivo substantivi conjungitur pro *ad* præpositione. *Humanitatis* plurimum *refert* 8, 22, 4. Nihil *referre iniquitatis* existimas Pan. 40.

Nonnulla *adjectiva* minus usitate cum genitivo conjunguntur:

Certus fugæ 6, 16, 12. *Certus* posteritatis 9, 3, 1. *Certum* triumphi Pan. 16. (Verg. Tac. Sil.). *Incertus* futurorum 9, 13, 11. (Ter. Phorm. 4, 1, 12. Ov. Liv. Auct. B. Afr. Tac. al. [1]). *Fugitivum* rei familiaris 9, 28, 4. (Plin. maj. Flor. Val. Max.). Proximorum *incuriosi* 8, 20, 1. (Tac.). *Liberum* discriminis Pan. 36. (Verg. Hor. Lucap. Stat. al.). *Miseros* ambitionis Pan. 58. (Stat. Theb. 4, 403). Offensæ pariter gratiæque *securi* Pan. 18. *Securus* magnitudinis suæ Pan. 71. (Verg. Hor. Tac. al.).

Adjectiva in *-ax* desinentia hæc cum genitivo conjunguntur:

Uxor omnis secreti *capacissima* 1, 12, 7. Cujus (amicitiæ) *capacem* 2, 13, 10. (Sen. Vell. Tac. Curt. Propria significatione jam Liv. dixit: "Cibi vinique capacissimum" 9, 16, 13). Cum dativo hoc adjectivum conjunctum est. Villa usibus *capax* 2, 17, 3. Arborum *ferax* terra 2, 17, 15. Miraculorum *ferax* terra 8, 20, 2. (Ov. Hor. Liv. 9, 16, 19. post.). Alio loco ablativus huic adjectivo subjunctus est. *Ferax* sæculum bonis artibus 4, 15, 8. (Verg. Ov.). Quæ (memoria) est bene faciendi *tenacissima* 10, 12 (7), 1. Disciplinæ *tenacissimum* 10, 85 (17). (Verg. Ov. Hor. post.).

Nonnulla *participia* cum genitivo conjuncta putavi commemoranda esse:

Alieni *abstinentissimus* 6, 8, 5. (Hor. Col.) *Inreverentem* operis 8, 21, 3. *Reverentior* hujus operis 6, 17, 5. *Reverentissimum* mei 10, 86 (18), 1. *Reverentior* senatus Pan. 69. Navium *patiens* 5, 6, 12. 8, 8, 3. (Verg. Liv. 21, 31, 10. al.). Dominationis *impatiens* Pan. 85. (Verg. Ov. Liv. post.). *Temperans* gaudii Pan. 52. (Ter. Tac.).

---

1) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 28. Kühnast, l. l. Pag. 75, sequ.

De usu *dativi* in universum moneo, Plinium semper pæne adjectivis et verbis, quæ apud veteres scriptores modo cum dativo modo cum præpositione solerent conjungi, dativum subjecisse, quam consuetudinem a Sallustii et Livii ætate paulatim increbruisse inter omnes constat. Dativus semper pæne sequitur adjectivum, quod est similis, etiam ubi de similitudine hominum quæritur. Auditores actoribus *similes* 2, 14, 4. 3, 3, 1. 2. 3, 11, 5. 4, 3, 1. 6, 16, 12. 20. 6, 17, 2. 7, 27, 9. 8, 13, 2. 8, 14, 24. 9, 22, 1. Pan. 1. 4. 7. 42. 59. (Cfr. Cic. Tusc. 5, 19, 56. Marcell. 3, 8. Sall. semper cum dativo, Liv. modo cum genitivo modo cum dativo personæ conjungit).

Nonnullis *verbis simplicibus* dativus subjungitur, ubi præpositio apud veteres scriptores usitatior est.

Aequati sunt populo milites Pan. 25. *Numinibus* æquatus est Pan. 35. Illos non potuisti tibi *æquare* Pan. 61. Principem *æquatum* candidatis Pan. 71. Cfr. 2, 12, 4. 5, 14 (15), 3. (Lucr. Verg. Liv. post.). Similiter: Quibus (senibus) nunc honore *adæquatus* est 2, 7, 4. (Cfr. Cæs. B. C. 2, 16. Propria significatione sæpius cum dativo hæc verba conjunguntur). Rigor aquæ *certaverit* nivibus 8, 8, 4. (Hæc structura poëtica est pro *cum* præpositione). Illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat 5, 16, 2. Mira utrique probitas 6, 11, 2. 7, 9, 7. 7, 19, 4. (Usitatior est *in* præpositio sequ. abl.). Hæret *lateri* tuo quisquis accessit Pan. 24. Cfr. 7, 27, 2. 9, 21, 1, al. Hæreat *animo* tuo gaudium Pan. 75, al. Cfr. 1, 5, 11, quibus locis *animo* etiam pro ablativo potest haberi. (Cic. Rosc. Com. 6, 17. poët. Liv. post.). Huic cubiculo aliud et procoeton communi pariete *junguntur* 2, 17, 10. 5, 6, 20. (Ov. sæpissime). Duos statim Classico *junximus* 3, 9, 12. Suffragio meo tuum *jungas* 6, 6, 8. 9, 21, 4. 10, 59 (67). 10, 81 (85), 6. (Cfr. Cic. Div. 2, 43, 91. Nat. Deor. 2, 45, 117. Liv. 23, 41, 2, al. poët. post.). Similiter: Summæ gravitati tantum comitatis *adjungere* 4, 3, 2. (Etiam Cicero sic est locutus, quamquam usitatior est *ad* præpositio). Puer *mixtus* pluribus dormiebat 7, 27, 13. (Fontes) flumini *miscentur* 8, 8, 5. 10, 61 (69), 2. (Sic non solum poëtæ, id quod Holstenius contendit, sed etiam Livius persæpe locutus est. Cfr. Liv. 23, 4, 7. 24, 31, 3). Similiter dicitur: *Permixtus* causæ 2, 11, 23. Incesti principis statuis *permixta* deorum simulacra sorderent Pan. 52. (Hor. Liv. 26, 44, 4. post.).

Dativus pronominis reflexivi insolenter cum verbis nonnullis conjungitur. Nec ipse *tibi plaudis* 9, 14, 1. (Hor. Sat. 1, 1, 66). Similiter: Nos tibi *repræsentes* 9, 28, 3. (Quint. et Curt. dixerunt: "animo repræsentare"[1]).

[1]) Cfr. Krebs, l. l. s. v.

Fingenti mihi principem Pan. 4. Ea maxime *mihi* quæ maxime abominor *fingo* 6, 4, 4. (Sic non solum Verg. Ecl. 8, 108 dixit, id quod contendit Holstenius, sed etiam Prop. 2, 6, 7. Tibull. 1, 5, 35, atque ipse Cic. Nat. Deor. 3, 18, 47. Rep. 2, 1, 3. Cæs. B. G. 6, 37, 8).

Sæpius *verbis copulatis* dativus subjungitur pro præpositionibus, quæ sunt usitatiores:

Litori *abrepta* 8, 20, 8 (Suet. Sequi solet *ex* præpositio vel *a*). Confido *accessurum* te sententiæ meæ 4, 10, 3. (Vell. Quint. Tac. al. In talibus locutionibus, ubi *accedere* idem significat, quod *assentiri*, veteres scriptores particula *ad* utebantur). Cfr. *Accessit* releganti 8, 14, 24. 1, 20, 25. Præterea commemorandum est, Plinium dixisse: *Accedit his, quod* 2, 19, 5. 4, 12, 7 pro eo, quod est *huc accedit, quod*, vel solum *accedit, quod;* eumque pæne semper *accedendi* verbo subjecisse dativum. Eadem fere ratio est verbi *adjiciendi.* (Cfr. 2, 17, 21. 4, 25, 4. 5. al.). Quorum *recitationibus* adfui 1, 13, 6. (Usitatior est *ad* præpositio vel *in*, quamquam ne optimi quidem scriptores dativum prorsus aspernati sunt). Velut cumbulæ onerariis *adhærescunt* 8, 20, 7. (Verg. Hor. Inter solutæ orationis scriptores primus Livius (5, 47, 5) "adhærendi" verbo proprie posito dativum videtur subjecisse). *Adhibetur* consiliis 6, 15, 3. (Raro sic dicitur pro *in, ad consilium*, sed legitur tamen Cæs. B. G. 6, 13, 1. Cic. Div. 1, 43, 95. *Adhibebamur* cenæ 6, 31, 13. (Cfr. Liv. 23, 8, 5. "Convivio adhibiturus erat"). *Admotum* jam labris poculum reddidi 7, 1, 4. (Verg. Liv. 23, 37, 2. post.). *Adplicitum* est cubiculo hypocauston 2, 17, 23. (Liv. 23, 27, 7, al.). Per translationem dicitur: Quamvis eidem talia crimina *adplicarentur* 10, 58 (66), 4. Universitati ejus *adtendas* 1, 8, 3. 7, 26, 2. Cui magis quam Cæsari *adtendant?* Pan. 65. (Suet. Sil. Veteres scriptores dicebant "animum adtendere ad"). Similiter: Nunc *intende* libro, quem cum hac epistula accipies 8, 19, 2. ("Intentus" participium etiam apud Sall. et Liv. sæpe conjungitur cum dativo). Non tu falsis, non tu iniquis tabulis *advocaris* Pan. 43. (Ov. Hor. Quint. 11, 1, 39. "Etiam in his causis, quibus advocamur"). Socrus mea *advoluta* genibus 1, 18, 3. 9, 21. 1. (Liv. Prop. post.). Frigidariæ cellæ *conectitur* media 5, 6, 26 (Lucr. 2, 703. post. Per translationem Cic. (Pis. 5, 11) dixit: "Connexi funeribus dies"). Minervæ et Dianæ *convenire* non possit 9, 10, 1. (Solet dici "convenire inter" sequ. acc.). Epistula malignitati interpretantium *exponitur* 5, 7, 6. (Ov. Met. 13, 726. post. Liv. 42, 23, 9 *ad* præpositio sequitur). Quos (libellos) tibi hendecasyllabi nostri blanditiis *elicere* non possunt 5, 10 (11), 2. (Jam apud Plaut. Trin. 2, 2, 13 legitur: "Lacrumas hæc

mihi eliciunt." Sequi solet *ex* præpositio vel *a*). *Eripe* me huic tormento 6, 1, 2. Ut se tanto discrimini *eriperet* orabat 6, 16, 8. Eum prædonis avidissimi faucibus *eripuisti* Pan. 94. (Poët. Sall. Cat. 46, 2. post.). Dolor non pedibus solis *insidebat* 1, 12, 6. *Insidet* animo tuo majestatis publicæ cura 2, 11, 1, al. (Lucr. 3, 914. Liv. 45, 1, 4. post. Apud Cic. *in* præpositio sequitur). *Insidentes* ramis aves 5, 6, 22. (Ov. Her. 20, 134. Tibull. 1, 2, 72. Liv. 2, 13, 11). Reliquum tempus studiis *inpendi* 6, 20, 2. 3, 5, 16. 18. (Sic scriptores maxime, qui fuerunt post Augusti ætatem, dixerunt pro eo, quod est usitatius: "impendere aliquid in aliquid"). Quod eximium orationi ejus *inest* 2, 11, 17. 3, 19, 3. 4, 11, 2. 6, 7, 3. 7, 9, 14. Pan. 38. 59. 88. Dico *inesse* vim Regulo 4, 7, 1. 3. 4, 18, 2. Pan. 37. al. (Cic. Off. 1, 42, 151 concinnitatis causa huic verbo dativum subjunxit pro *in* præpositione sequ. abl. Liv. et Sall. semper sic locutos esse, affirmavit Kühnast, l. l. Pag. 137, sed Sall. Cat. 15, 5 sequitur *in* præpositio). Leges multa omnibus parietibus *inscripta* 8, 8, 7. 9, 19, 1. (Cic. Har. resp. 27, 58. Liv. 25, 10, 9. Ov. Met. 10, 215. Usitatior est *in* præpositio sequ. abl.). Non trabibus aut saxis nomen tuum *inciditur* Pan. 54. (Verg. Ecl. 10, 53. Ov. Hor. Usitatior est *in* præpositio sequ. acc. l. abl.). Cfr. *Incisa* et *insculpta* sunt publicis æternisque monumentis prætoria ornamenta Pallantis 8, 6, 14. Jam navibus cinis *incidebat* 6, 16, 11. Quotiens cassidi tuæ aut clipeo gravior ictus *incideret* Pan. 13. (Lucr. 2, 227. Verg. Ov. Liv.). Circumactis curvatisque litoribus mare *infunditur* 6, 16, 12. (Caligo) nos torrentis modo *infusa* terræ sequebatur 6, 20, 13. (Ov. A. A. 1, 437. Plin. maj. Sen. Petr.). Cui (balineo) jam videbar *inferri* 7, 1, 6. Septingenta milia ærario *inferenda* censuit 2, 11, 20. Tu sideribus patrem *intulisti* Pan. 11. Delubris meditatum carmen *intulerit* Pan. 3. (Poët. Liv. 4, 20, 5. 23, 24, 11. post.). Ceris et stilo *incumbit* 7, 27, 9. (Sic Sil. Tac. Flor. dixerunt pro *in* particula sequ. acc. Forsitan tamen Plinii loco propria significatione accipi possit). Juvabat *inlidere* solo superbissimos vultus Pan. 52. Cfr. 8, 20, 5 (Poët. post.). (Puer) *insilit* tergo (delphini) 9, 33, 6. (Ov. Met. 12, 345, al. post. Apud Liv. sequitur *in* c. acc., apud Sall. Hist. 5, 3 solus acc.). Securitas (imperii) saluti tuæ *innisa* est 10, 52 (60). Præsenti tibi *innixus* Pan. 8. (Similiter dativus certo positus est Ov. Met. 14, 819. Tac. Ann. 3, 30. Quint. I. O. 6, 1, 35). Dices *inmissa* terris nova flumina 8, 4, 2. (Poët. Cæs. B. C. 2, 10, 6). Hoc est quod penitus illos animo Cæsaris *insinuavit* Pan. 62. (Quamquam acc. huic verbo subjungitur Liv. 44, 41, 8 nec dativus rarus est, tamen rarissime ut in hoc exemplo cum utroque casu simul videtur conjungi). Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam

inerrare 1, 6, 3. 9, 17, 1. Memoria imaginis oculis *inerrabat* 7, 27, 6. (Stat. Silv. 1, 5, 58. Tibull. 4, 1, 201 sequitur *in* præpositio c. abl.). Ne cui fidem meam *obstringam* 4, 13, 10 (Plin. maj. Cfr. Boetticher, Lex. Tac. s. v.). *Redit* animo ille latus clavus 8, 23, 6. (Poët. Cfr. Liv. 2, 22, 3). Similiter: Hæc optimi appellatio numquam memoriæ hominum sine te *recurret* Pan. 88. *Refudimus* Nilo suas copias Pan. 31. Tot trucidatis sanguinem et bona *refudisses* Pan. 40. Fenestris *subjacet* vestibulum villæ 2, 17, 15. 5, 6, 2. 23. (Curt. Col.). Tiberis demissioribus ripis alte *superfunditur* 8, 17, 1. 9, 33, 9. (Plin. maj. Col.). Triginta annis gloriæ suæ *supervixit* 2, 1, 1 (Suet. Flor. Just.). Illis exemplis addantur: Quæris qui sint versiculi quibus *gratiam rettuli* 3, 21, 4. 4, 7, 6. Pan. 54. (Similiter jam apud Ov. Pont. 4, 1, 21. Trist. 5, 4, 47 dativus rei huic locutioni subjectus est). Cum ejusmodi officiis *renuntiasset* 2, 1, 8. Inertiæ *renuntiare* Pan. 59. (Similiter Sen. Quint. Suet. cum dativo rei hoc verbum conjunxerunt. Plerumque hac significatione subjecta dativus personæ sequi solet et accusativus rei).

Dativus pro *ab* præpositione sequ. abl. ad agentem personam significandam non solum temporibus compositis, quæ vocantur, subjungitur, sed etiam simplicibus nonnumquam, id quod rarum est apud Ciceronem, præterquam ubi dativus pro dativo commodi habendus est[1]). Felicitas terræ inbecillis *cultoribus* fatigatur 3, 19, 6, quamquam hoc loco *cultoribus* pro ablativo potest accipi. Finitimis *oppidis* studia hinc petantur 4, 13, 9. (Hoc loco, ubi *oppidis* verbum pro "oppidanis" positum est, pro dativo commodi potest haberi). *Inhabitantibus* tristes diræque noctes vigilabantur 7, 27, 6[2]).

Participiis sæpius subjungitur talis dativus apud Plinium, ut apud omnes scriptores. Quod factum ne *mihi* quidem auditum est 6, 24, 5. Cupio *coheredibus* meis excusatum esse 7, 11, 2. Ne quis *mihi* non donatus abiret 8, 2, 3. Adfectata *aliis* castitas Pan. 20. *Optimo cuique* principum dilectum Pan. 88.

Dativi finalis, qui vocatur, exemplum hoc afferatur. *Fidei veritatique* componitur (historia) 7, 17, 3[3]).

Accusativi verbis simplicibus copulatisque nonnullis subjuncti exempla minus usitata hæc sunt:

Regulum *cogita* 4, 2, 2. Qui posteros *cogitant* 5, 5, 4. 6, 31, 13.

[1]) Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 1, 4, 11.

[2]) Apud Livium crebrior est hic usus dativi, qua de re cfr. Kühnast, l. l. Pag. 139. [3]) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 21.

(Tac. Dial. 2. Sequi solet *de* præpositio). Istud tamquam morituram *coëgit* 2, 20, 11. Nemo tam miser est, ut illa *cogatur* 8, 6, 3. Nihil *cogitur* Pan. 6. Cfr. 10, 96 (97), 5. (Ter. Ad. 3, 4, 44. Cic. rep. 1, 2, 3. Sall. Hist. 2, 41, 6. Liv. 4, 26, 3, al.). Quæ tantum *coeperant* reges 10, 41 (50), 5. (Cic. Nat. Deor. 1, 7, 17. Liv. 42, 47, 3. Plaut. Ter. Verg. post. Contra Sall. Hist. 4, 61, 13 nunc legitur in ed. Dietschii: Bellum "cepi" (pro coepi). Varenum proconsulem *detulerunt* 5, 20, 1. Cfr. 3, 9, 6. 6, 31, 10. 7, 6, 8. 10, 96 (97), 2. (Quint. Tac. Veteres scriptores dicebant "nomen deferre"). Di *festinaverunt* virtutes tuas ad gubernacula rei publicæ 10, 1, 1. *Festinatis* senectutis insignibus Pan. 4. *Festinatis* honoribus Pan. 69. (Verg. Ov. Sall. post. Cic. aut absolute, ut aiunt, posuit aut cum infinitivo conjunxit). Similiter: Hinc porticus, inde delubra *properantur* Pan. 51. (Poët. Sall. post. Cic. absolute posuit aut cum infinitivo conjunxit). Privato judicio *principem geris* Pan. 44. (Sen. Trag. Just. Claud. Apul. Sæpius sic usurpatur *agere*, de quo usu supra disputavimus). Quam (materiam) *gravari* solebamus 3, 18, 6. Qui maxime dominum *graventur* Pan. 45. (Plaut. Rud. 2, 4, 21. 22. Hor. post.). *Indulgeas* jus Quiritium L. Satrio Abascanto 10, 11 (6), 2. Cfr. 2, 13, 8. 10, 6 (22), 1. 10, 8 (24), 2. 4. 10, 70 (75), 1. 10, 108 (109), 2. Hoc genus operis salubritati coloniæ *indulseris* 10, 90 (91), 2. (Huic verbo accusativum subjunxerunt non solum argenteæ ætatis scriptores, ut contendit Holstenius, sed etiam Liv. 40, 15, 16. Cfr. præterea Nep. Att. 9, 3. "Nihil iis indulsit"). Pecora circumfusum undique lacum *paveant* 8, 20, 8. Illos posteros libertatis nec terret Cæsar nec *pavet* Pan. 69. (Plaut. Hor. Sall. Cat. 31, 3. Liv. 23, 5, 8. post.). Similiter: Adventum tuum non pater quisquam *expavit* Pan. 20. (Hor. post. Apud Liv. 6, 34, 6 *ad* præpositio sequitur). Formosum alium, hunc fortissimum *personat* Pan. 2. Nunc cithara, nunc lyra *personatur* hendecasyllaborum volumen 7, 4, 9[1]). Grata sunt tamen *recordantibus* principem illum in capita dominorum servos subornantem Pan. 42[2]). Laudes imperatorum ludis *saltarentur* Pan. 64. (Ov. Hor. Vell. Tac. Suet. Petr.). Quisquis ille, *sileatur* 8, 22, 4. (Poët. Liv. 27, 10, 7. post.). Magna sui parte meridiem *spectat* (villa) 5, 6, 15. (Poët. Sall. Hist. 3, 58. Liv. 25, 9,

[1]) Holstenius putat, illas locutiones esse conformatas ad similitudinem locorum Verg. Aen. 6, 418 et Hor. Ep. 1, 1, 7, quorum locorum paulo alia est ratio. Potius mihi videtur consimilis esse locus ille Cic. Rep. 1, 2, 2. "Quas (res) isti in angulis personant." (Cfr. præterea Schütz, Lex. Cic. s. v.).

[2]) Krebs s. v. non optimo jure contendit, semper dici "recordari *de* aliquo", in qua eadem sententia est Schultz, "Lat. Sprachlehre", § 278, Ann. 2. Infinite Madvig § 291, Ann. 1, Krüger § 351, Ann. 3 disputarunt.

10. 33, 17, 5, al. post. Injuria Klotz in lexico laudavit Cic. Att. 9, 12. Plerumque, ubi de situ locorum agitur, sequi solet *ad* præpositio). *Stupebant* agricolæ plena horrea Pan. 31. (Verg. Petr. Mart. Val. Flacc.). Inhabitantibus tristes diræque noctes *vigilabantur* 7, 27, 6. (Verg. Ov.).

Accusativus his verbis copulatis subjunctus minus est usitatus:

Hac *adeuntur* diætæ duæ 5, 6, 31. Cfr. 2, 17, 2. 6, 16, 14. (Propria significatione verbo subjecta *ad* præpositio sæpius usurpatur, quamquam apud poëtas certe et Liv. nequaquam rarus est acc. obj. Cfr. Liv. 23, 16, 9. 25, 9, 9.[1]). Cfr. Cæs. B. G. 4, 20, 2). Concupiscere honorem quem *dedigneris* Pan. 63. Cfr. 8, 6, 16. Pan. 55. (Verg. Ov. Sil. Curt. Just.). In Regulo *demerendo* Regulum imitantur 4, 2, 4. (Ov. Liv. 3, 18, 3. Vell. Quint. Tac. Suet.). Similiter: Hic maxime principem *promeretur* Pan. 62. (Suet. Cic. Off. 2, 15, 53 *de* præpositio sequitur). *Egressi* tecta consistimus 6, 20, 8. (Cæs. B. C. 3, 52, 2. Liv. 1, 29, 6. 22, 55, 8. 29, 6, 4. Sall. Jug. 110, 8[2]). Addi possunt ad illos locos Sall. Hist. 1, 87. 3, 33. Apud posteriores scriptores frequentissima est hæc structura). Per translationem dicitur: Nec historia debet *egredi* veritatem 7, 33, 10. Dignum aliquid auribus *elaboremus* 4, 16, 3. Cfr. 3, 5, 20. (In passiva forma maximeque in participio etiam Cic. hac voce sæpe usus est; in forma activa Cfr. Quint. I. O. 2, 3, 6. Plin. maj.). Hor. Od. 3, 1, 19). Utraque filiam *enixa* decessit 4, 21, 1. (Ov. Liv. 40, 4, 4. post.). Illum turbinem *evaserint* 3, 9, 36. Cæsares quibus suspectus fuerat *evasit* 2, 1, 3. *Evasit* perpetuam valetudinem 1, 12, 11. Sermones malignorum *evasit* 7, 24, 3. Quam (poenam) *evasisset* 10, 58 (66), 2. (Verg. Ov. Liv. post.). Nec castigat errantes, sed *emendat* 1, 10, 7. Vir est *emendatus* 3, 3, 5. 4, 27, 6. 8, 22, 2. 9, 21, 1. 10, 96 (97), 10. (Cfr. Cic. Legg. 3, 13, 30. Or. 46, 155. Hor. Ep. 1, 16, 30. Usitatius quidem est "mores hominis emendare", atque etiam in dubium olim vocatum est, num latine diceretur "emendare hominem"). Tiberis alveum *excessit* 8, 17, 1. *Excessuros* templorum fastigium titulos Pan. 54. Annum tertium et octogensimum *excessit* 2, 1, 4. 2, 3, 5. 3, 7, 9. Etiamsi modum *excesserit* 2, 4, 4. 3, 11, 8. 6, 21, 6. 7, 33, 10. 8, 24, 10 aliisque locis permultis. (Cic. dixit fere: "Transire modum" Off. 1, 29, 102. "Extra modum prodire" Off. 1, 39, 140. "Ultra modum progredi" Tusc. 4, 17, 38). *Excesseramus* licentiam contionum 3, 20, 3. Cujus (legis) severitatem inmanitate crimi-

[1]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 224, b. Kühnast, l. l. Pag. 144, sequ.

[2]) Cfr. Anton, "Studien zur Lat. Gramm. u. Stilistik", Pag. 73, sequ., Erfurt 1869.

num *excesserat* 6, 29, 9. Vereor ne *excessisse* officii mei partes videar 10, 47 (56), 3. Qua (summa) decem milia *excesserant* 8, 2, 4. 10, 8 (24), 5. (Ov. Met. 7, 166. Liv. post. [1]). *Expertus* sum *me* et heroo 7, 4, 3. Variis *me* studiorum generibus *experior* 9, 29, 1. (Quint, I. O. 12, 11, 16. Num alibi usquam dicatur "experiri se", dubito. Holstenius temere, ut solet dissimilia coacervare et miscere, contulit Quint. 9, 3, 76. 10, 1, 100, qui loci plane conveniunt et cum Ciceronis et cum aliorum scriptorum consuetudine loquendi). Homines jactationem ejus (rei) *incessunt* 1, 8, 15. (Ov. Liv. 37, 57, 15. post.). *Irrumpit* cubiculum meum mater 6, 20, 4. (Cæs. B. C. 1, 27, 3. 2, 13, 4. 3, 111, 1. Sall. Jug. 58, 1. Verg. Ov. post.). Quem (locum) deus ille *insedit* Pan. 1. Quæ (turba) limen *insederat* Pan. 5. *Insidere* vias Pan. 26. Forum *insederant* Pan. 34. *Insessa* castris montium abrupta 8, 4, 2. (Sall. Hist. 1, 9. 1, 108. Liv. sæpe. Tac. Curt. Flor. Sil.). Virum aut sapientem aut proximum simillimumque sapienti *intellegere* sum visus 3, 11, 5. 6, 27, 2. 8, 23, 5 [2]). (Vell. Sen. Quint. 10, 1, 104, al. Tac. Ann. 3, 3. Plin. maj. Non optimo jure in eodem genere Holstenius posuit: Hoc tamen signum ego quoque *intellego* 3, 6, 1. 1, 10, 3. 10, 51 (12), 2. (Ov. Met. 13, 295. Cic. Verr. 4, 14, 33). Quem *interfari* nefas esset 1, 23, 2. (Liv. Val. Max.). Has buxus *interjacet* 5, 6, 32. (Liv. 7, 29, 6. 27, 41, 4. Plin. maj.). Alius fauces *invadit* 3, 14, 2. Ea *invasit* homines habendi cupido 9, 30, 4. (Semper apud Sall. sequitur solus acc., sæpissime apud Liv., sed apud Ciceronem semper sequitur *in* præpositio sequ. acc., nam ubi olim inveniebatur solus acc., ibi addiderunt *in* præpositionem (Cic. Sest. 6, 14. Qu. fr. 3, 2, 2). Nihil referre quando sint patriam *invecti* 10, 118 (119), 1. (Verg. Ov. Liv. post. Cic. Rep. 6, 11, 11 legitur: "Quum eris curru Capitolium invectus"). Plerique inritis precibus surdas principis aures *obstrepebant* Pan. 26. (Cic. Marcell. 3, 9, quem quidem locum putant esse corruptum et "nomine Ciceronis indignum" [3]). Gierig Plinii loco legi vult *adstrepere*). Nostra agmina *percursare* ripas gaudebant Pan. 12. Hedera truncum et ramos *pererrat* 5, 6, 32. (Verg. Ov. Hor. post.). Magna Isæum fama *præcesserat* 2, 3, 1. 7, 16, 2. (Delphinus) *præcedere* puerum 9, 33, 4. 10, 63 (13). (Propria significatione posito huic verbo acc. subjunxerunt Verg. Ov. Cfr. Liv. 32, 16, 5. post.). Per translationem positum cum acc. conjunctum est: "Amoenitatem tectorum longe *præcedit* hippodromus 5, 6, 32. Pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri quem *præcedis* vel exæquas 6, 17, 4. (Cæs. B. G. 1, 1. Liv. 38, 51, 11. "Ego vestros honores rebus gerendis præcessi" [1]). Paratam editionem morte *præventam* 9, 1, 3. Finem potestatis alterius altera *prævenit* Pan. 92. (Ov. Liv. Sall. Jug. 71, 5. post.).

[1]) Cfr. Anton, l. l. Pag. 72.
[2]) Cfr. Seyffert, "Pal. Cic." Pag. 84.
[3]) Cfr. Schütz, Lex. Cic. s. v.

Accusativus verbo passivo subjungitur: Coëgit mulierem sibi tunicas quas erat *induta* legare 2, 20, 11. (Verg. Ov. Liv. post. [2]). Cujus (libelli) pretium *reposceris* 7, 12, 6. (Poët. Quint. I. O. 6, 3, 10). Alia, quæ commemorentur, digna in singulis verbis attuli.

Ablativo loci Plinius nonnumquam, sed satis raro, præeuntibus poëtis et Livio, liberius usus est, velut: Domum meam *Esquiliis* quærat 3, 21, 5. Cum placido et cum turbato *mari* vehitur 9, 26, 4. Cum abunde expertus esset, quam bene *umeris* tuis sederet imperium Pan. 10 [3]).

Ablativi temporis minus usitati hoc afferatur exemplum: Hoc *certamine* 9, 33, 4. Vix opus est me commemorare, "ludis, comitiis" sic usurpari, velut: Proximis *comitiis* 6, 19, 1. Sacerdotalibus *ludis* 7, 24, 6 [4]). Præterea ablativus sæpe ponitur ad spatium temporis significandum, velut: Pauculis adhuc *diebus* in Tusculano commorabor 4, 13, 1. Vixit cum hac triginta novem *annis* 8, 5, 1. 10, 74 (16), 1. Sola velatus toga perstitit, et quidem *horis* septem 4, 16, 2. Cum Nicææ *biduo* substitisset 10, 67 (15), 1. *Quadriduo* 1, 20, 8. *Triduo* 2, 11, 18. 3, 18, 6. *Diebus et noctibus* 2, 3, 4. *Diebus ac noctibus* 5, 8, 3. Pan. 67 [5]).

Ablativus instrumenti de personis usurpatur, velut: *Comoedis* cena distinguitur 3, 1, 9. Clarissimorum virorum receptacula habitatore *servo* teruntur Pan. 50. (Rarior est hæc structura apud veteres scriptores [6]).

Ablativus solus ponitur ad materiam, ex qua aliquid factum est, significandam, velut: Stibadium candido *marmore* 5, 6, 36. (Ibid. 40 contra legitur: Sedilia *e* marmore). Media inter deos sedes *auro* staret aut *ebore* Pan. 52. Tribunal viridi *cespite* extructum Pan. 56. (Usitatior est *ex* particula, quamquam etiam apud classicos, qui vo-

[1]) Krebs igitur non omnino recte de usu hujus verbi disputavit.
[2]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 237, a.
[3]) Cfr. de hoc usu Kühnast, l. l. Pag. 183, sequ. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 273, b, Anm. 2.
[4]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 276, Anm. 2.
[5]) Cfr. de hoc usu ablativi, apud Plinium creberrimo, Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 235, Anm. 3.
[6]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 254, Anm. 3.

cantur, scriptores solus ablativus invenitur. Cfr. Liv. 6, 32, 1). (Agri) constant *campis vineis silvis* 3, 19, 5. (Lucr. Quint. Apud Ciceronem semper sequitur *ex* præpositio [1]).

Ablativi causæ hæc fere exempla annotavi: Dubitat *diversitate* rationum 1, 22, 3. Quibus (Cæsaribus) suspectus atque etiam invisus *virtutibus* fuerat 2, 1, 3. (Exspectatur *propter* præpositio l. *ob*, sed cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 257, Anm. 2. Kühnast, l. l. Pag. 163, sequ.). Quamvis quietis *amore* secesseris 2, 11, 1. (Sic a Plinio plerumque omittuntur participia "commotus, ductus", tal., quæ ab optimis scriptoribus sæpissime addi solent). *Cupiditate* audiendi 6, 5, 5. *Lassitudine* sedendi 6, 17, 2. *Reverentia* Eurythmi 6, 31, 9. 7, 24, 5. Visendi *studio* 6, 33, 4. Artes non *odio* magis quam *reverentia* relegaret Pan. 47. *Superbia* et *fastidio* amplissimos honores repudiare Pan. 55. Hic commemorandum est Plinium sæpe dixisse: *Invidere alicui aliqua re*, ut est etiam apud Liv. 2, 40, 11 [2]). Neque enim ego *invideo* aliis bono quo ipse careo 1, 10, 12. 2, 10, 2. 2, 20, 8. 3, 8, 2. 7, 28, 2. 9, 13, 5; eumque *sponte* absolute, ut aiunt, non addito pronomine possessivo usum esse. Addidisti calcaria *sponte* currenti 1, 8, 1. 1, 12, 1. 13. 1, 19, 3. 1, 22, 8. 3, 7, 3. 4, 24, 3. 5, 13 (14), 10. 6, 29, 11. 7, 19, 1. Pan. 44. 73. (Verg. Ov. post.).

Ablativus modi nonnumquam solus ponitur pro *cum* præpositione sequ. abl. Si quid omnino, hoc certe *judicio* facio 4, 15, 1. (Etiam Cic. Qu. fr. 3, 1, 5, 8). *Gravitate* quam noras . . . inquit 4, 17, 8. Cujus memoria orbem terrarum *gloria* pervagetur 6, 10, 3. *Dissimulatione* et *silentio* præterii 6, 27, 3. Ut periculum capitis adituri *tardidate* convenimus Pan. 48. Insolenter quoque dixit: Quodam velut *aggere* construuntur (saxa) 6, 31, 16. Torrentis *modo* 6, 20, 13, præeunte Livio, dicitur pro eo, quod fortasse frequentius est: Torrentis *in modum* [3]).

Ablativus copiæ subjungitur adjectivo, quod est *plenus*. *Plenus* humanitate 1, 10, 2. 7, 9, 6. 8, 18, 2. (Usitatior est apud optimos scriptores genitivus, quamquam non desunt exempla, ubi ablativus sequatur).

Ablativus inopiæ sequitur verbum *indigendi*. Qui non *indigent* clementia ullius 8, 22, 1. Cum ope earum *indigeret* Pan. 14. Cum plurimis amicitiis fortuna principum *indigeat* Pan. 85. (Apud optimos scriptores genitivus est frequentior, quamquam ablativus non est rarus [1]).

Ablativus comparationis: *Solito* major et augustior Pan. 8. Augustior *solito* currus Pan. 92. (Ov. Liv. Suet.). Hic commemorandum est Plinium, præeuntibus Varrone (R. R. 2, 7, 1) et Livio (38, 38, 15) dixisse: Ne quis sit in senatu *minor annorum* triginta 10, 79 (83), 1 [2]).

Ablativus separationis nonnullis verbis adjungitur, ubi apud veteres scriptores sequi solet præpositio. Periculo *aufertur* 6, 20, 11. (Veteres scriptores aut *dativum personæ* aut *ab*, *de*, *ex* præpositiones huic verbo adjunxerunt, aut *absolute* posuerunt). (Tecta) quasi *emota* sedibus suis 6, 16, 15. (Hor. Liv.). Simul theatro ego et Quadratus *egrederemur* 7, 24, 6. *Egredienti* nave 7, 27, 3. (Cæs. B. G. 2, 11, 1. 4, 24, 1. poët. Liv. post. Apud Cic. sequitur *ex* præpositio). *Excedere* oppido visum 6, 20, 7. (Cicero dixit "vita excedere", Cæsar "loco, pugna excedere." Cfr. Italia excedere B. C. 1, 27. Præterea ante Livium *ex* præpositio certe multo usitatior est). Numero civium *excidit* 8, 18, 6. Animo caritas *excidat* Pan. 87. (Apud classicos, qui vocantur, scriptores sequi solet *ex* præpositio l. *de*). *Exiluit* cathedra 3, 16, 12. (Ov. Met. 5, 35. al. Lucan. Cic. Verr. 2, 30, 75 sequitur *de* præpositio). Nos amor liberalitatis communibus avaritiæ vinculis *eximebat* 1, 8, 9. Illum civilibus officiis principis amicitia *exemit* 4, 24, 3. (Incertum est, utrum pro dativo an pro ablativo his locis casus habendus sit, nam post Livii ætatem, præeuntibus poëtis, etiam in soluta oratione, utraque structura satis frequens est. Cfr. Liv. 8, 35, 5. 34, 52, 12. Apud Ciceronem sequi solet præpositio). Dativus personæ certo sequitur. *Exime* hunc *mihi* scrupulum 6, 8, 7. Similiter non potest constitui, utrum verbo *adquiescendi* dativus an ablativus adjungatur. Magno fomento dolor meus *adquiescet* 4, 21, 4. 5, 16, 11. 6, 7, 2. 8, 16, 3. (Sequi solet apud optimos scriptores *in* præpositio sequ. abl.). Solus ablativus adjungitur adjectivo, quod est *diversus*, pro *a* præpositione sequ. abl. Quam *diversum* consuetudine illorum Pan. 65.

Ad extremum generatim moneo, Plinium videri solum ablativum iterationi præpositionis prætulisse in iis locutionibus, in quibus utraque structura ab aliis usurpatur.

Sed hæc hactenus. Alias, si commodum fuerit, uberius tractabo universam grammaticam rationem argenteæ latinitatis.

---

[1]) Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 4, 8, 19.

[2]) Cfr. Anton, l. l. Pag. 81, sequ., qui satis copiose de hac locutione disputavit.

[3]) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 178.

[1]) Kühnast, l. l. Pag. 172, docuit apud Livium semper sequi abl. et apud Sall. excepto uno loco.

[2]) Cfr. Madvig, "Bemerkungen", Pag. 85, ubi plures loci Suet. et Jct. laudati sunt.

De Modis.

Indicativus ponitur in oratione obliqua, cujus structuræ ne apud optimos quidem scriptores desunt exempla[1]).

Additum est ut pecuniæ quas creditoribus *solverat* revocarentur 3, 9, 17. Quæres fortasse quemadmodum evenerit ut poenis in quas *damnati erant* exsolverentur 10, 31 (40), 4. Melius Nominatum fuisse facturum, si causam Vicetinorum eodem animo quo *susceperat* pertulisset 5, 13 (14), 4.

Post *dum* particulam hæc structura satis frequens est præcipue apud rerum scriptores[2]). Ut mihi omnia libera servarem, *dum* Mauricus *venit* 1, 5, 15. Ut duces agere, *dum secuntur*, adsuescerent 8, 14, 5.

Indicativus sequitur post *non quia: Non quia* tu ut ita facerem *petisti* 9, 38. (Cic. Planc. 32, 78. Liv. 10, 41, 12. 40, 33, 2, al. post. "Non quod" sequ. Ind. Cic. Rep. 1, 18, 30.[3]).

Plusquamperfectum aut *imperfectum Indicativi* in apodosi enuntiationis conditionalis usurpatur, addita protasi per *plusqupf.* aut *impf. conj.*

Temere *fecerat* Nerva, si adoptasset alium Pan. 8[4]). *Actum erat* de fecundissima gente, si libera fuisset Pan. 31. Quorum si nihil nobis natura præstaret, *expeditum erat* cataractis aquæ cursum temperare 10, 61 (69), 4. *Erat* modica, si principem cogitares 6, 31, 13.

In sententiis *relativis indicativus* ponitur minus usitate, ubi causalem vim habent: Possis ex hoc facere conjecturam, quam sit emendatus adulescens, qui a gravissimis senibus sic *amatur* 4, 27, 6. Scilicet qui *requisisti* 6, 20, 20. Quanto tu quandoque dignior coelo, qui tot res illis *adjecisti* Pan. 35. (Sed cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 366, Anm. 1).

Quod attinet ad usum *conjunctivi* modi apud Plinium, primum est commemorandum solum conjunctivum sæpius quam apud veteres scriptores positum esse pro *ut* particula sequ. conj., velut post censere 6, 9, 2. Cupere 5, 14 (15), 9. Denuntiare 6, 31, 12. Exhortari Pan. 69. Incitare 5, 17, 4. Jubere 6, 20, 12. Licere 1, 6, 3. 1, 7, 4. 4, 14, 9.

---

¹) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 235. Madvig. "Lat. Sprachlehre" § 369, Anm. 2.

²) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 369, Anm. 3. Dræger, l. l. Pag. 57. Cic. Rosc. Am. 25, 70.

³) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 357, b. Kühnast, l. l. Pag, 240. Dræger, l. l. Pag. 63.

⁴) Cfr. præter Madvigium, "Lat. Sprachlehre" § 348, d., Johanson, "De usu modorum in verbis "debere, posse, sim", Pag. 24, sequ. Upsaliæ 1868. Kühnast, l. l. Pag. 226. Dræger, l. l. Pag. 65.

Pacisci 3, 12, 1. Permittere 4, 11, 13. Obsecrare 4, 9, 12. Optare 10, 88 (89). Opus esse 9, 33, 11. (Num quis alius sic locutus sit, dubito). Petere 4, 28, 1. 5, 8, 14. 6, 19, 3. 9, 13, 16. Postulare 6, 31, 10. Præcipere 5, 16, 7. 7, 24, 5. Præmonere 4, 11, 11. Rogare 2, 13, 10. 5, 19, 8. 6, 8, 9. 7, 6, 11. 7, 17, 14. 10, 5 (4), 2. 10, 8 (24), 4. Pleraque illorum verborum etiam apud veteres scriptores hic illic ita struuntur, quamquam apud eos rarior est hæc structura[1]).

Conjunctivus iterativus subjungitur *quotiens* particulæ: *Quotiens intrasset* fidelior amicus 1, 12, 7. 3, 16, 4. Totiens cuique experiendum malum, *quotiens* quisque similes principi servos *haberet* Pan. 42[2]). Particulæ *prout: Prout* hic vel ille *diceret* 6, 5, 5. *Prout* alterutrum frequentiæ genus *invaluisset* Pan. 23. (Liv. 5, 47, 3[3]); in *sententiis relativis: Quocumque* me *contulissem* 6, 10, 2. *Quoscumque* in scopulos *detulissent* Pan. 35[4]). Jam navibus cinis incidebat, quo propius *accederent*, calidior et densior 6, 16, 11,

Conjunctivus subjungitur *cum* conjunctioni, quamquam antecedit *tum*, id quod ne apud Ciceronem quidem inusitatum, frequentius est apud Livium et, qui postea fuerunt, scriptores[5]): Jam *tum*, *cum* in Syria tribunus *militarem* 3, 11, 5. Quæ *tunc cum vincerent* non debebantur 10, 118 (119), 3. *Tunc, cum* ad exercitum proficiscereris Pan. 5; particulæ *donec:* Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, *donec* homines innutritos mari *subiret* timendi pudor 9, 33, 6. Onerosa erit modestiæ illorum tertii consulatus sui recordatio, *donec* te sæpius consulem videant Pan. 78[6]).

Nonnumquam *conjunctivus* subjungitur particulis *quod* et *quantum*, ubi exspectamus indicativum: Hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, *quod* consul alius quam Cæsar *esset* Pan. 58. Gratius tamen *quod* sensim et placide, et *quantum* respectantium turba *pateretur*, *incederes* Pan. 23. Nisi existimandum est orationem esse obliquam, hic locus consimilis est iis, quos Dræger, l. l. Pag. 60, ex Ann. Tac. attulit (6, 19. 6, 21. 13, 42), quibus similem se nullum usquam invenisse locum affirmat. (Cfr. Liv. 44, 7, 6: "Quantum procederet longius a Thessalia").

Verba, quæ sunt *debere*, *posse*, tal., in primaria sententia enuntiationis conditionalis collocata, ubi exprimitur aliquid, quod certa qua-

---

¹) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 227.

²) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 56.

³) Dræger, l. l. Pag. 60. Kühnast, l. l. Pag. 237.

⁴) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 54.

⁵) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 241. Dræger, l. l. Pag. 56.

⁶) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 57. Liv. 45, 7, 4, quem locum similem esse contendit Boetticher, Lex. Tac. Pag. 109, nunc mutatus est.

dam conditione rei non factæ fieri possit aut necesse sit, in *conjunctivo* ponuntur, cujus rei nonnulla libet afferre exempla, quippe cum apud Plinium ejus generis non multa sint. Diu *quærendus fuisset*, nisi paratus et quasi provisus esset Minicius Acilianus 1, 14, 3. Si pluribus pater tuus quam mihi debuisset, *fuisset* fortasse *dubitandum* an adires hereditatem 2, 4, 1. Si verendum esset ne quod ego dedissem populus eriperet, cunctantior fortasse et cautior esse *deberem* 2, 16, 4. Hanc ille vim si ad potiora vertisset, quantum boni efficere *potuisset*! 4, 7, 3. Si hoc opusculum nostrum aut potissimum esset aut solum, fortasse *posset* durum videri dicere cet. 4, 14, 10 [1]). Si mater te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri *posses?* 5, 1, 9. (Similiter imperfectum positum est pro plusqpf. in secundaria sententia 8, 6, 12. Perseveraturum fuisse, nisi *obsequeretur* principis voluntati. In utraque sententia. Erat puer acris ingenii, sed ambigui, qui tamen *posset* recta sectari, si patrem non *referret* 4, 2, 1 [2]).

Conjunctivus sæpissime subjungitur particulæ *quamquam*, qua structura num Cicero usus sit incertum est [3]). *Quamquam* illi paternus (avus) etiam clarus spectatusque *contigerit* 3, 3, 1. Tertium, *quamquam occultaretur*, pro comperto habebatur 6, 19, 2. *Quamquam* te temperantissimum *noverim* 7, 1, 1. Cfr. 7, 33, 3. 8, 4, 3. 8, 6, 17. 8, 16, 3. Vides a medicis, *quamquam* in adversa valetudine nihil servi ac liberi *differant*, mollius tamen liberos clementiusque tractari 8, 24, 5. (Sall. Jug. 3, 2. Nep. Att. 13, 6. Liv. 6, 9, 6. 7, 13, 6. 36, 34, 6. poët.).

Imperativus præsentis insolenter cum *ne* particula conjungitur. Invicem tu, si quid istic epistula dignum, *ne gravare* (pro "ne sis gravatus") 8, 18, 11. (Liv. 3, 2, 9. Sen. Const. 19, 4. Num præterquam his locis in soluta oratione inveniatur, dubitandum est [4]).

Infinitivus nonnullis *verbis* subjungitur maxime poëtarum more dicendi, ubi apud veteres scriptores sequi solet *ut* aliave particula, etiamsi hic illic apud optimos quoque scriptores eadem verba cum infinitivo conjunguntur: *Adhortatus* es *resumere* libertatem Pan. 66. ("Hortandi" verbo Cic. nonnumqam (Sest. 3, 7), sæpius Sall. infinitivum subjunxit). Itinere *decedere admonebamur* 1, 2, 4. (Hirt. B. G. 8, 12, 7. Cic. Verr. 1, 24, 63). Cum valentissimo quoque sodalium *certat frangere* fluctus

[1]) Cfr. Johanson, l. l.
[2]) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 66.
[3]) Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 3, 21, 70. Kühner ad Cic. Tusc. 5, 30, 85.
[4]) Cfr. Reisig, "Vorlesungen" Pag. 605, sequ.

Pan. 81. (Poët. post.). *Amare contigit* 1, 16, 9. *Contingat invenire* 4, 1, 7. 6, 26, 3. 7, 26, 3. 8, 6, 7. 8, 11, 3. 10, 17 (28), 2. Pan. 34. 58. 71. 92. (Cic. Arch. 3, 4, si lectio vera est. Poët. post.). Poëtis *furere concessum* est 7, 4, 10. Infra etiam *natare concessum* 8, 8, 6. Pan. 90. (Cic. Quinct. 15, 50, al. Cæs. B. G. 6, 20, 2, semel apud Liv. [1]), sæpius ap. poët. et post.). Quantum mihi *cernere datur* 1, 10, 5. 3, 1, 1. Beatos puto quibus deorum munere *datum est* aut *facere* scribenda aut *scribere* legenda 6, 16, 3. 8, 4, 4. 8, 20, 1. Pan. 29. 50. 51. 79. (Poët. Liv. Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 252). *Ut* et *ne* particulæ sequuntur. *Dandum* nobis amicis *ne* spes nostras voluntaria morte desereret 1, 22, 9. Fuit fratribus illis quasi fato *datum*, *ut* divites fierent 8, 18, 5. Id (balineum) itaque indulgentia tua *restituere desiderant* 10, 23 (34), 1. (Poët. post. Cæs. B. G. 4, 2 sequitur acc. c. inf.). Quibus (libellis) peregre *manere* gratiam, quam in urbe collegerint, *delector* 9, 11, 2. (Poët. pro *gerundio*, quod usitatius est, vel pro *quod* particula). Nobis *denegatur* diu *vivere* 3, 7, 14. (Poët. post.). Similiter: *Figurare* varie nisi eruditis *negatum* est 3, 13, 3. Rogo ut Accium Suram prætura *exornare digneris* 10, 12 (7). 10, 13 (8). 10, 43 (52), 4. 10, 47 (56), 3. 10, 56 (64), 1. 10, 81 (85), 8. 10, 118 (119), 3. Pan. 80. 87. 92. (Poët.). Similiter: Quos (cibos) *dedigneris attingere* Pan. 49. Si forte balineum domi vel subitus adventus vel brevior mora *calfacere dissuadeat* 2, 17, 26. (Cic. Off. 3, 27, 101 concinnitatis causa. Auct. ad Her. 3, 3, 5. poët. post.). *Non dubito* maximo tibi gaudio *fore* 4, 19, 1. Cfr. 1, 20, 8. 5, 5, 7. 5, 18, 1. 6, 21, 7. 6, 27, 5. 7, 6, 12. 8, 6, 17. 8, 21, 6. 10, 96 (97), 3. (Sic Liv. Nep. Cic. fil. Fam. 16, 21, 2 aliique nonnulli præter poët. et post. locuti sunt. Alia est ratio loci Ciceronis Att. 7, 1, 3, quem locum Kühnast, l. l. Pag. 252 attulit). Similiter: Num ergo *dubium est* alia omnia *sentire* eos qui occidunt quam qui relegant? 8, 14, 20. Pan. 8. Ut *sit* nemini *dubium* hanc tibi præcipuam causam *fuisse* extendendi consulatus Pan. 61. *Ornare* patriam et *amplificare gaudemus* 2, 5, 3. Pan. 12. 71. Danubius ac Rhenus tantum illud nostri dedecoris *vehere gaudebant* Pan. 82. (Poët. post. Acc. c. Inf. apud omnes scriptores satis frequens est). *Probari* dominis *laborant* 1, 4, 4. 1, 10, 2. 2, 5, 9. (Nep. Pel. 3, 1. Cic. Att. 5, 2, 2. poët. post.). Maxime *laudari merentur* 7, 20, 1. Pan. 6. 46. 70. 73. 88. (Poët. post.). Victuri nominis famam supremis etiam titulis *prorogare nituntur* 9, 19, 3. (Cæs. Sall. Liv. Nep. poët. post. [2]). Cujus integra re consilium *exquirere optassem* 3, 4, 2.

[1]) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 251.
[2]) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 249 et 253.

In secundo (loco) *resistere* atque etiam *senescere optabas* Pan. 10. Officia mandes *deponere optantibus* Pan. 87. (Rarissima est hæc structura apud Ciceronem et Livium, apud poëtas et post. frequentior est[1]). Neque enim umquam *periclitabuntur esse* privatæ Pan. 84. (Quint. Plin. maj. Petron.). *Permittere* pæne semper apud Plinium conjungitur cum infinitivo, id quod rarius est apud Ciceronem, sed jam inde a Livii ætate, præeuntibus poëtis, frequentius est[2]). Petiit ut sibi *instituere* nundinas in agris suis *permitteretur* 5, 4, 1. 5, 9 (21), 4. 6, 6, 5. 8, 14, 16. *Permitto* servis quoque quasi testamenta *facere* 8, 16, 1. 10, 8 (24), 1. 4. 10, 10 (5), 2. 10, 68 (73). 10, 79 (83), 2. 4. 10, 112 (113), 1. *Dari* sibi diem et *edi* crimina *postulabat* 3, 9, 32. (Rarius Cic. Sall. Liv. Nep.; sæpius poët. et post.[3]). Vitassem jamdudum ne viderer argutior, nisi *proposuissem* omnes angulos tecum epistula *circumire* 5, 6, 40. (Suet. Amm. Veteres dicebant fere: "est mihi propositum" sequ. inf.). Nec *subire* offensas *recusabo* 4, 17, 11. Nec *recuso luere* poenas ob honestissimum factum 9, 13, 12. *Recusabas imperare* Pan. 5. (Rara est hæc structura apud Ciceronem et Cæsarem (B. G. 3, 22, 3[4]), frequentior apud Livium, poët. post.). Hæc ego *scribere* publice *supersedi* 5, 7, 5. (Poët. Liv. post.). Non *sustinui inducere* in animum 9, 13, 6. 16. Tu ne *rogari* quidem *sustinuisti* Pan. 26. 60. 86. (Poët. Liv. 23, 9, 7. post. Cum acc. sequ. inf. conjunctum est Cic. Verr. II, 1, 4, 10). Nihil *legere*, nihil *scribere* aut adsidenti *vacat* aut anxio libet 1, 22, 11. Scirem tibi *vacaturum* librum *legere* 8, 15, 1. 9, 16, 1. (Poët. post. Atque etiam Ciceronem et Livium "vacandi" verbum cum inf. nonnumquam conjunxisse, affirmavit Kühnast, l. l. Pag. 254). Quis terror *valuisset efficere* quod reverentia tui effecit? Pan. 46. (Poët. Liv. 38, 23, 4). *Magni æstimo* dignitati ejus aliquid *adstruere* 3, 2, 5. 3, 4, 1. 4, 28, 1. 6, 23, 3.

Adjectivis nonnullis insolenter *infinitivus* subjungitur:

Contentus æmulum *removisse* 6, 31, 5. Non *contenta* lex *dicere* 8, 14, 20. 9, 13, 16. 10, 6 (22), 2. Pan. 15. 38. 63. (Poët. post. Liv. 24, 29, 7 in editione Madvigii nunc legitur "libertate" pro "liberatos"). Pars magna terrarum *mergi repararique* amne *consueta* Pan. 30. (Apud Liv. c. inf. conjunguntur "assuetus, insuetus, desuetus"[5]). Verbo "consuescendi" etiam apud Ciceronem et Cæsarem infinitivus subjungitur[6]). *Dignus* alter *eligi*, alter *eligere* Pan. 7. (Poët. post. Cfr. præterea Liv.

1) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 253.
2) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 253.
3) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 254.
4) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 254.
5) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 247.
6) Cfr. Kühnast, l. l. Pag. 252.

8, 26, 6, cujus loci tamen paulo alia est ratio). *Erit* et post emendationem *liberum* nobis vel *publicare* vel *continere* 1, 8, 3. *Liberum est* amicis vel eadem *facere* vel alia 3, 1, 8. 3, 8, 4. 8, 18, 3. 9, 19, 5. Pan. 24. (Jam apud Liv. 32, 32, 8 hæc locutio exstat et apud post.). Vereor ut *sit* satis *congruens* nunc eadem illa *sectari* 1, 8, 17. 2, 12, 4. 3, 8, 2. 4, 9, 19. 10, 118 (119), 2. Pan. 38. (Tac. Gell. Dig.). Propter Reisigium, qui in scholis suis (Pag. 558) docuit, locutionem illam "necessarium esse" non inveniri nisi addito dativo, moneo, illam locutionem et apud Plinium et apud alios scriptores satis frequentem esse etiam non addito dativo. *Necessarium* credidi *elaborare*, ut cet. 3, 9, 14. *Necessarium* est *mitti* a te aquilegem 10, 37 (46), 3. Vides quam *necessarium fuerit* consulatum non *recusare* Pan. 64. al. (Cfr. Cic. d. Or. 1, 24, 112. Liv. 21, 58, 6). *Coepi* sequ. inf. pass. legitur: Constat jam desolata templa *coepisse celebrari* 10, 96 (97), 10. Vetuisti exigi quod *deberi* non tuo sæculo *coeperat* Pan. 40[1]).

Perfectum infinitivi minus usitate adjungitur verbo, quod est *memini:* Ita certe ex Quintiliano *audisse memini* 2, 14, 9. Cfr. 1, 8, 3. 3, 20, 1. Pan. 67[2]). Neque silentio hic omittendus est locus: Quin etiam in testamentis *debes adnotasse* 7, 20, 6. (Nonnulli sine causa locum volunt mutare. Cfr. Cic. Rosc. Am. 27, 73. "Debeo vicisse." Tac. Dial. 24. "Tuum promissum immutasse non debet", quem locum Dræger, l. l. Pag. 51 § 150 laudavit).

Infinitivus positus videtur pro *gerundio*, nisi locus corruptus est, id quod putat Ussing, l. l. Pag. 23. Habuisse *privilegium* et vetustissimum *morem* arbitrio suo rempublicam *administrare* 10, 47 (56), 1. (Non multum ab hoc loco discrepat, quod legitur apud Liv. 2, 53, 5).

Ad extremum fortasse commemorandum est *nom. c. inf.* positum esse, ubi exspectatur *acc. c. inf.*, velut: Modo *nuntiatus est* Silius Italicus inedia *finisse* vitam 3, 7, 1[3]). Cfr. *Sunt* alter alteri quid pararent *indicati* 6, 5, 6.

Infinitivus historicus, qui dicitur, nonnumquam apud Plinium in-

1) Cfr. quæ de hac re Kühnast, l. l. Pag. 251, disputavit. Quasi præteriens addo, Sallustium semper, excepto uno loco (Jug. 27, 1), formam activam hujus verbi infinitivo pass. adjunxisse. Cic. Tusc. 1, 13, 29 nunc legitur: "tractare coepissent."

2) Cfr. Krüger, "Lat. Grammat." § 473, Ann. 3. Haase ad Reisigii scholas, Not. 454. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 408, b. Ann. 2.

3) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre § 400, c. Ann.

venitur maxime in rerum descriptionibus, ubi vivida opus est oratione, velut 6, 20, 11. 12. 15. 7, 27, 8. 9, 33, 5. Pan. 22 [1]).

De *gerundivo* id tantum monendum est, Plinium sæpe *part. fut. pass.* cum verbo *habendi* conjunxisse, qui mos est eorum scriptorum, qui post Augustum fuerunt. *Certandum habent* 1, 7, 6. *Enitendum haberemus* 1, 8, 12. *Facienda* ipsi ac *tradenda* minoribus *haberemus* 8, 14, 4. *Impetrandum* a bonitate tua per nos *habet* 10, 94 (95), 2. Nihil *discendum haberes* Pan. 15. *Habent adnumeranda* tibi pro republica vulnera Ibid. [2]). Argenteæ ætatis propriæ hæ quoque sunt locutiones: *Conspiciendum se monstrandumque præbere* 2, 12, 3. Cum *se captandum præbuisset* 8, 18, 2 [3]).

Gerundii genitivus subjungitur locutioni, quæ est *propositum habere*. Non *habeo propositum* illum *reprehendendi* 9, 19, 7. (Cic. dicit fere: "est mihi propositum" sequ. inf.).

Supini accusativus, ut apud Sall. Liv. veteres poëtas, conjungitur cum verbo *eundi* eadem significatione subjecta, quam habet conjug. periphr. act. *Ereptum* alienas pecunias *eunt*, perdant quas habent Pan. 35 [4]).

In brevitate persequenda Plinius sæpe usus est *participiis* et absolute, ut aiunt, positis et cum conjunctionibus junctis pro universis sententiis, quem usum a Livii ætate constat maxime increbruisse. Præcipue *part. fut. act.* sic usus est Plinius in primaria sententia enuntiationis conditionalis, cujus consuetudinis nonnulla afferantur exempla: Surgebam invicem, si quiesceret, *excitaturus* 6, 20, 4. *Daturus* amplius si potuisset 3, 21, 6. Plus *collaturus*, nisi confiderem 6, 32, 2. (Reus) *futurus*, si Domitianus vixisset 7, 27, 14. 8, 6, 12. Cfr. 7, 19, 4. 7, 25, 1. 3. 8, 3, 2. 9, 34, 1. Cum *ut* et *tamquam* particulis jungitur: *Ut* jam securus liberque *moriturus* 1, 12, 8. Quantulumcumque *ut relicturus* satis habet 7, 26, 2. *Tamquam placituram* (orationem) expecta 8, 3, 3. 8, 20, 1. Pan. 20 [5]).

---

[1]) Cfr. de usu infinitivi præter auctores, quos supra laudavi, Dræger, l. l. Pag. 49, sequ.

[2]) Cfr. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 422, Ann. 3.

[3]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 269.

[4]) Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil Pag. 289. Dræger, l. l. Pag. 73.

[5]) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 66. Kühnast, l. l. Pag. 267, sequ. Frequentissimus est hic usus apud Plin. maj. Cfr. Grasberger, "De usu Pliniano", Pag. 83. Wirceburgi 1860.

Participia præs. act. et *præt. pass.* sæpe conjunguntur cum particulis *quasi*, *quippe*, *quamvis*, *tamquam*, *quamquam*. Quis ex istis non *quasi* somno et inertiæ *deditus* erubescat? 3, 5, 19. Me *quasi* nimis fortiter incauteque *progressum* corripit 9, 13, 10. Rationes *quasi absente* me negleguntur 9, 15, 2. Quippe omnibus membris *extortus* et *fractus* tantas opes solis oculis obibat 8, 18, 9. Nuntio tibi me Ephesum navigasse, *quamvis* contrariis ventis *retentum* 10, 15 (26). *Tamquam* aliqua lege *cogente* 3, 5, 13. Ego, *quamquam* plurimis occupationibus *distentus*, adnitar 6, 18, 1. Cfr. 1, 12, 3. 6, 20, 20. 6, 28, 1. 8, 17, 2. 10, 54 (62), 2. Pan. 5. *Quamquam* nondum periculo *adpropinquante* sarcinas contulerat in naves 6, 16, 12. 10, 120 (121), 2. (Madvig ad Cic. Fin. 5, 23, 68 dubitat, num Cicero "quamquam" particulam cum participio conjunxerit; neque tamen audet corrigere, quod legitur: "quamquam expetenda." Cfr. præterea Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 424, Ann. 4. Dræger, l. l. Pag. 73. Sall. Jug. 43, 1). Jam apud Ciceronem cum participio junguntur earum, quas ego attuli, particularum *ut* et *quasi*, apud Livium etiam *tamquam*, *quippe*, *quamvis*.

Satis dure *ablativus absolutus*, qui vocatur, positus est: Nec Eumolpus nec Archippus, *quamquam* plurimis diebus *expectatis*, adhuc mihi libellos dederunt 10, 81 (85), 6. Alia exempla usus participii hæc sunt commemoranda: Agnoscit *narratam* sibi *effigiem* 7, 27, 8. Etiam in exclamatione participium usurpatur. Lacessis hominem jam præfectum ærarii, præterea *qua gratia*, quibus amicitiis *fultum!* 9, 13, 11. Ad extremum commemorandum est Pan. 54 legi: Te non brevis et *pudenda* prædicatio colit [1]). Cfr. 5, 13 (14), 9.

In usu *temporum* hæc fere sunt animadvertenda: Plinium, qui magnam orationis vim et vehementiam affectaret, sæpe usum esse "præsenti historico" maxime in epistulis, quibus res vel loci describantur, ex se apparet. Cfr. præter alios locos 2, 20, 8. 6, 20, 8. 12. 13. 7, 33, 7. 9, 13, 10. 9, 33, 4.

Præsens minus usitate adjungitur particulæ *postquam*, qui usus satis rarus est apud omnes scriptores. *Postquam* in Laurentino meo aut *lego* aliquid aut *scribo* 1, 9, 4. *Postquam polliceris* 7, 22, 1. *Postquam* non *est* cui suadeatur qui suadeant non sunt Pan. 41 [2]). Similiter præsens adjungitur particulæ *ut*. *Ut* me et matrem sedentes, me vero etiam legentem *videt* 6, 20, 5.

---

[1]) Cfr. Neue, l. l. Zweiter Theil, Pag. 483.

[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 499. Dræger, l. l. Pag. 56. Kühnast, l. l. Pag. 212.

Perfectum significat rem sæpe factam esse ideoque fieri solere, id quod non ita rarum est apud classicos, qui vocantur, scriptores. Plures (amicos) habere multis gloriosum, reprehensioni nemini *fuit* 5, 3, 11. Præterea in enuntiationibus potentialibus perfectum sæpe ponitur non solum in enuntiationibus primariis, ut apud veteres quoque scriptores, sed etiam in enuntiationibus secundariis, id quod, quantum equidem scio, veteribus inusitatum est Acanthus in plano mollis et pæne *dixerim* liquidus 5, 6, 16. Requisierim 7, 17, 3. Crediderim Pan. 80. Hujus, *ut ita dixerim*, tristitiam reliquæ partes actionis exorare debebunt 2, 5, 6. *Ut sic dixerim*, servile bellum sustulisti Pan. 42. (Tac. Quint. Flor. Gaius [1]). Quod ad *consecutionem temporum* attinet, vix opus est me commemorare, *impf. conj.* poni post antecedens *præs. hist.*, velut: *Præmonetur*, ad confessionem *confugeret*, quasi ad veniam 4, 11, 11. Ut paulum *expectaret* manu *significat* 7, 27, 9. Cfr. 8, 6, 5 aliosque multos locos, quos longum est enumerare. Duo præterea loci non sunt omittendi: Ingentibus damnis immensisque muneribus *paciscimur ut vicerimus* Pan. 12. *Effecisti ne* malos principes *habuissemus* Pan. 40, de quibus locis vide, quæ Haase ad Reisigii scholas, Pag.543, Ann. 478 disputavit.

De Particulis.

Adverbia loci. Alibi, quod apud Ciceronem nusquam ponitur nisi in sententiis negativis [2]), apud Plinium et æquales, præeuntibus poëtis et Livio, frequenter usurpatur *in sententiis affirmativis* velut: *Alibi* pratulum, *alibi* ipsa buxus intervenit 5, 6, 35. 8, 17, 4. Jam dies *alibi* 6, 16, 17. 9, 26, 8.

Hinc et inde, *hinc atque inde*, *hinc vel inde*, *hinc inde* inter se opponuntur apud argenteæ ætatis scriptores pro eo, quod est apud veteres *hinc et (vel) illinc*, *hinc illinc*. Intentionem eorum nulla *hinc et inde* collatio accenderet 4, 5, 2. Varia *hinc atque inde* facies 2, 17, 3. Pan. 22. 68. *Hinc vel inde* ventis inquietus (dies) 2, 17, 16. Acta causa *hinc* a Polyæno, *inde* a Magno 7, 10, 2. *Hinc* porticus, *inde* delubra Pan. 51. Idem fere significat, quod undique: Quæ tunc *hinc inde* jacta sunt 9, 13, 8. Cfr. 5, 6, 36. 9, 33, 1.

Similiter *ibi-hic* pro *illic-hic* dixit. Viderunt *ibi* boves aratra rectores, *hic* soluta et libera armenta 8, 17, 4.

[1]) Cfr. Dræger, l. l. Pag. 11. Madvig, "Lat. Sprachlehre" § 380, Ann.
[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v., quem magna ex parte in particulis tractandis secutus sum.

Poëtarum more *hinc-hinc* pro *hinc-illinc* posuit, quam loquendi consuetudinem etiam Livius secutus est: Tota area *hinc* auro, *hinc* argento relucebat Pan. 52. Cfr. 9, 39, 5.

Eodem modo posuit *hac-hac* pro *hac-illac*, *hic-hic* pro *hic-illic*. *Hac* latus xysti, *hac* adjacentis hippodromi nemus comasque prospectat 5, 6, 19. *Hic* suscipere, *hic* ponere magistratus, quam dignum te Pan. 65.

Hucusque pro eo, quod est *usque eo*, apud Plinium et æquales nonnullos, sed raro invenitur. Difficile est *hucusque* intendere animum in dolore 3, 10, 6 [1]).

Inde, vi causali subjecta, num ante argenteam ætatem in usu fuerit, in dubium quidem potest vocari; nam unus ex iis locis, qui ab Handio s. v. Pag. 364 allati sunt (Cic. Nat. Deor. 2, 23, 61), nunc est mutatus, ceterique, quos Pag. 370 laudavit, nescio an aliter possint explicari [2]). Sed apud Plinium et æquales illam vim habet. *Inde* qui eandem causam audierunt, sæpe diversum, interdum idem sentiunt 1, 20, 12. *Inde* jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur 2, 14, 5. Cfr. 3, 1, 10. 3, 11, 1. 6, 31, 3. 7, 27, 6. 8, 14, 5. Pan. 49. 73. Saltem locutio illa *inde est quod* non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse. *Inde est quod* magnam noctium partem in imagine tua vigil exigo 7, 5, 1. Cfr. Juv. 6, 612. *Inde est quod* prope omnes nomine appellas Pan. 15.

Protinus de locis cohærentibus apud Vergilium et post. usurpatur [3]). Valvis xystum desinentem et *protinus* pratum multumque ruris videt 5, 6, 19.

Retro de tempore præterito. Hæreo ne cujusquam *retro* habeatur oratio 10, 118 (119), 3. (Cic. Rep. 1, 37, 58. poët. post.).

Undecumque. Hæc vox nescio qua de causa non videtur ante argenteam ætatatem in usu fuisse. *Undecumque* coeperis 9, 4, 2. *Undecumque* invocatum statim adesse Pan. 80.

Adverbia temporis. Adhuc apud Plinium ponitur *de tempore futuro* contra consuetudinem veterum scriptorum [4]). Ipse pauculis *adhuc* diebus in Tusculano *commorabor* 4, 13, 1. Longa expectatio est, quam frustrari *adhuc* et differre *non debes* 2, 10, 2. Cfr. 3, 10, 4. *Adhuc* an sit recitandum *examina* tecum 2, 19, 9. De *tempore præterito*

[1]) Ad auctores, qui in lexicis et ab Handio allati sunt, adde Sen. Ep. 6, 3 (55), 8. 7, 4 (66), 25.
[2]) Cfr. Reisig, l. l. Pag. 468, Not. 435.
[3]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 622.
[4]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 163.

eadem significatione, qua *etiamtum*, *usque ad id tempus*, dicitur, qui usus rarus est apud veteres scriptores [1]). Eram acturus *adulescentulus adhuc* 1, 18, 3. Amisso filio *matrem adhuc agere* 3, 16, 6. Oppidum me pæne *adhuc puerum* patronum cooptavit 4, 1, 4. 9, 13, 4. Pan. 10. 57. 61.

Deinde, antecedente *ac* particula, raro invenitur [2]). Mirabantur *ac deinde* singulos gestus dominæ cum canticis reddebant 7, 24, 7.

Iterum iterumque, *iterum atque iterum* poëtarum more dicitur pro eo, quod est apud veteres scriptores *iterum et sæpius* [3]). Quanto majorem infantium turbam *iterum atque iterum* jubebis incidi! Pan. 28. Te *iterum iterumque* consulem habere cupiamus Pan. 79.

Jam-jam pro eo, quod est *modo-modo*, apud poëtas, Liv. post. scr. dicitur. *Jam* ut in limine, *jam* ut intra limen audiri 7, 27, 8 [4]).

Mox, præeunte Livio, apud Plinium et æquales ponitur pro *deinde*, *paulo post*, tal. [5]). Metus ejus, *mox* gaudium eminuit 5, 17, 5. Oportet tamen eos qui puniunt et qui relegant absolventibus primum, *mox* inter se comparari 8, 14, 21. Cfr. 6, 20, 2. 8, 20, 8. 9, 33, 4. *Mox* cum meis ambulo 9, 36, 4. 10, 96 (97), 4. Paulum redormio, dein ambulo, *mox* orationem græcam latinamve lego 9, 36, 3. Cfr. 3, 9, 9. 7, 17, 7. Pan. 11.

Nunc-nunc eadem significatione ponitur, qua *modo-modo*, ut apud poëtas, Liv. post. *Nunc* ad Vestam, *nunc* ad ceteros deos manus tendens 4, 11, 7. *Nunc* terra *nunc* mari corpus agitare 4, 23, 1. 5, 6, 40. 5, 17, 2. 6, 5, 5. 7, 4, 9. 7, 9, 7. 9, 33, 2. 4. Pan. 13. 23. 32. 34. 43. 48 [6]).

Olim dicitur pro eo, quod est *jam pridem*, *jam dudum*, præeuntibus, ut videtur, poëtis (Verg. Georg. 4, 421 [7]). *Olim* mihi nullas epistulas mittis 1, 11, 1. Quod (gaudium) ego *olim* pro te non temere præsumo 2, 10, 6. Cfr. 6, 34, 1. *Olim* non librum in manus, non stilum sumpsi 8, 9, 1. *Olim* tu quidem adoptari merebare Pan. 6. Junxisti securitatem *olim* imperantis et incipientis pudorem Pan. 24. Etiam *de futuris rebus* usurpatur. Verum hæc *olim:* in præsentia qui-

[1]) Cfr. quæ de hoc usu disputarunt Hand. Turs. s. v. Pag. 160. Madvig ad Cic. Fin. 5. 6, 16. Seyffert, Pal. Cic. Pag. 35.
[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 247. Sall. Hist. 1, 1.
[3]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 530.
[4]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 144.
[5]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 657.
[6]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 342.
[7]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 370.

dem Pan. 15. (Ejusmodi exempla admodum sunt rara. Cfr. Cic. Att. 11, 4, 1).

Quandoque pro *aliquando* apud veteres scriptores rarum est. (Cic. Fam. 6, 19, 2. Liv. 21, 3, 6 [1]). *Quandoque* ut errones aliquem cujus dicantur invenient (versus) 2, 10, 3. Precor ut *quandoque* veniat dies 3, 18, 10. 4, 13, 6. 6, 21, 2. Pan. 10. 28. 35. 94.

Subinde Livius primus in solutam orationem induxit. *Subinde* sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem 1, 13, 2. Effigiem ejus *subinde* intueri 2, 7, 6. 10, 39 (48), 2.

Adverbia modi. *Alioqui*, *alioquin* pro eo, quod est *ceterum*, *aliter*, *ceteris in rebus*, *præterea*, tal., apud Plinium est frequentissimum. Magna autem est inter viros doctos dissensio, num apud veteres scriptores, excepto Livio, hoc vocabulum in usu fuerit, qua de re cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 235, sequ. et Seyffert, Pal. Cic. Pag. 13, quamquam plerique editores non sunt ausi vocabulum delere apud Cic. Legg. 2, 25, 62. *Alioqui* prævaricatio est transire dicenda 1, 20, 2. *Alioqui* subjungerem 3, 14, 6. 5, 13 (14), 2. *Alioqui* satius est in urbe remanere 6, 14, 1. 6, 20, 16. 6, 31, 12. 8, 8, 1. 8, 18, 5. 9, 13, 2. *Alioqui* commodissimum est, si religio non impedit 10, 49 (58), 2. Superbus *alioqui* dominus 3, 14, 1. 5, 14 (15), 3. 8, 11, 2. Vir *alioqui* clarus et gravis 6, 6, 3. 7, 31, 1. Inpense petis ut agam causam pertinentem ad curam tuam, pulchram *alioqui* et famosam 6, 23, 1. Antecedunt *cum*, *et* particulæ: *Cum alioqui* validissime cupiam 9, 35, 1. Cfr. 2, 19, 6. 9, 39, 1. *Cum* sit *alioqui* multo deformius amittere quam non adsequi laudem 8, 24, 9. 10, 8 (24), 5. 10, 81 (85), 8. Et *alioqui* longa patientia occallui 2, 15, 2. Cfr. 2, 9, 1. 3, 9, 19. 7, 9, 16. 8, 21, 5. 9, 37, 3. 10, 33 (42), 2. Pan. 45. 53. 68. 70. *(Et alioqui* num quis præter Plinium utrumque dixerit, dubitat Hand. Turs. s. v., Pag. 238). Cfr. *Quod alioqui* perire incipiebat, cum perisse Afro videretur 2, 14, 12. *Quod alioqui* fore videbatur 8, 14, 24. 10, 3 (20), 1. 10, 12 (7), 1. 10, 23 (34), 2. 10, 79 (83), 3.

Invicem. Hæc vox Ciceroni inusitata, apud Cæsarem satis rara, Livio et posterioribus scriptoribus usitatissima, a Plinio persæpe usurpatur 1) eadem significatione, qua *contra*, *ab altera parte. Invicem* nobis, sed lætioribus epistulis scribe 1, 22, 12. 2, 11, 25. 4, 1, 2. 4, 15, 10. 6, 7, 2. 6, 17, 5. 6, 20, 4. 6, 29, 11. 7, 14, 2. 8, 18, 11. Pan. 39. 51. 2) i. s. q. *vicissim:* Quæ feruntur quæque expetuntur opes *invi-*

[1]) Cfr. Madvig, Cic. Fin. Exc. 6, Pag. 833.

cem capiant gentes Pan. 32. Demonstramus *invicem*, credimus *invicem* Pan. 62. 3) i. e. q. *inter se*, *nos*, *vos*, *alter-alter*. Amare *invicem* adulescentuli coepimus 6, 8, 2. *Invicem* vos obligari putetis 7, 7, 1. *Invicem* ardentius diligamus 7, 20, 7, Idem estis *invicem*, quod fuistis Pan. 83. Addito pronomine *se: Invicem se* mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt 3, 7, 15. Rem maximam *invicem* præstitistis Pan. 6. 84. Certatim ergo tibi gratias agimus, ego quod illam mihi, illa quod me sibi dederis quasi *invicem* elegeris 4, 19, 8. Horum utrumque *invicem* adjumento fuit 4, 20, 2. (Num quis ante argenteam ætatem "invicem" dixerit pro "inter se", dubito, nam qui locus ab Handio s. v., Pag. 455 laudatus est (Liv. 41, 3, 3), nescio an aliter possit explicari [1]).

Ita demum eadem significatione, qua *tum demum*, in enuntiatione conditionali non videtur ante argenteam ætatem in usu fuisse [2]). Quibus omnibus *ita demum* similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit 3, 3, 2. 3, 9, 11. Pan. 68. (Verg. Aen. 6, 154 eadem vi dixit "sic demum").

Pariter-pariter, quod maxime poëtæ videntur dixisse, apud Plinium et æquales exstat. *Pariter* ægrum, *pariter* decessisse cognovi 8, 23, 8.

Utcumque, præeuntibus Livio (29, 15, 1) et poëtis, relativam significationem amisit. Hoc *utcumque* tolerabile 5, 5, 2. Curatis *utcumque* corporibus 6, 20, 19.

Adverbia quantitatis. *Abunde*, quod apud Ciceronem uno loco (Div. 2, 1, 3) exstat, apud Sallustium, Livium, poëtas non raro invenitur, Plinio est usitatissimum. Conjunctum est cum *adj.* Baptisteria *abunde* capacia 2, 17, 11. *Abunde* misera res Pan. 38. Cum *verbis*. Scholasticis dominis *sufficit abunde* tantum soli 1, 24, 4. Buxus *abunde* viret 2, 17, 14. 4, 12, 5. Cum *verbo esse* conjunctum prædicati loco ponitur sequ. *inf.* l. *si* particula. *Abunde* sit alterum efficere 5, 8, 7. *Abunde* est, *si* satis expressi quod efficitur 4, 30, 11. 7, 2, 3. Pan. 44.

Parum contra morem veterum scriptorum positum videtur pro eo, quod est *non multum:* Adeo nihil aut certe *parum* intererat inter imperatorem factum et futurum Pan. 20. (Quint. Sen. [3]).

[1]) Cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 241, 3.
[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v. *demum*, Pag. 255.
[3]) Cfr. quæ de hac re disputavit Madvig ad Cic. Fin. 5, 30, 91. Hand. Turs. s. v., Pag. 397.

Parvulum dicitur eadem significatione, qua *paulum*. *Parvulum* differt, patiaris adversa an expectes 8, 17, 6. Cfr. 8, 14, 14. (Cels.).

Paulo minus apud Plinium et æquales dicitur eadem fere significatione, qua *prope*, *fere*, *pæne* (græce ὀλίγου δεῖν). Ummidia Quadratilla *paulo minus* octogensimo ætatis anno decessit 7, 24, 1. *Paulo minus* quinque milia ingenuorum fuerunt Pan. 28 [1]). Cum hac locutione potest comparari *quanto minus*. Uterque nuper consulatum alterum gesserat a patre tuo, id est *quanto minus* quam a te datum! Pan. 61.

Particulæ affirmativæ. *Quin immo* pro eo, quod est simplex *immo*, sæpe apud Plinium et æquales exstat [2]). *Quin immo* nusquam audiri benignius soleo 2, 11, 11. 1, 8, 4. 3, 16, 4. 4, 9, 18. 7, 23, 1. Pan. 69. Præterea commemorandum est particulam *immo* sæpe secundo loco sententiæ poni, id quod rarius est. Quæ *immo* pigritia 6, 17, 3. 6, 24, 4. Pan. 44. *Immo et* dicitur pro *immo etiam*. *Immo et* invita 7, 31, 7. Pan. 88.

Etiam a Plinio sæpissime usurpatur in aliquid concedendo, sequente sententia, qua id, quod concessum est, restringitur. Recito tamen, quod illi an fecerint nescio. *Etiam:* sed illi judicio suo poterant esse contenti 5, 3, 7. Cfr. 2, 3, 9. 6, 2, 8. 6, 28, 3. 7, 17, 5 [3]).

Particulæ negativæ. *Non* pro *ne* ponitur, id quod raro maximeque apud poëtas evenit. Proinde hoc te *non* moveat, si cetera non refragantur 3, 19, 9. (Hand. Turs. s. v. *non*, Pag. 265).

Dum non pro *dum ne* dicitur, ubi *non* particula proxime cohæret cum certo quodam verbo. Non alat, *dum non* occidat Pan. 27. (H. s. v. *dum*, Pag. 328).

Nec pro *neve* satis frequens est apud Plinium et æquales, sed apud veteres scriptores rarius. Studeamus *nec* desidiæ nostræ prætendamus alienam 4, 16, 3. 8, 24, 6. Pan. 61. 68. 85. Antecedente *ut* particula 8, 14, 14. (H. *nec* 118, sequ.).

Non saltem i. s. q. *ne-quidem*, ut jam apud Liv. 5, 38, 1. Quint. Tac. *Non* adsurrexerunt, *saltem* lassitudine sedendi 6, 17, 2. Pan. 4. 82 (duobus locis). (Dræger, l. l. Pag. 7). Contra *ne-quidem* ponitur

[1]) Cfr. Hand. Turs. s. v. *paulo*, Pag. 412.
[2]) Cfr. Hand. Turs. s. v. *immo*, Pag. 233 et Pag. 225, ubi copiose de hac voce disputavit et nonnullos Plinii locos attigit.
[3]) Cfr. Hand. Turs. s. v., Pag. 569.

pro *non saltem*, *non certe*. Quotusquisque principum *ne* id *quidem* in patrimoniis nostris suum duxit, quod esset de suo? Pan. 43. (H. *ne* 65. Loco illo Ciceronis Nat. Deor. 3, 10, 24 in editione Klotzii legitur "*ne item*").

Nec pro *ne-quidem* positum est, ut nonnullis locis jam apud Livium et poëtas. Præterea *nec* materia plura scribendi dabatur 9, 2, 2. Illud enim *nec* di sinant, ut "infirmior" (audiam) 2, 2, 3 [1]). Fortitudo tua præstat ut *neque* hostes tui velint (pugnare) Pan. 16 [2]). Locis illis 10, 54 (62), 2, ubi olim legebatur *nec* pro *ne-quidem*, et 6, 27, 4. Pan. 27, ubi olim exstabat *nec-quidem* in novissima editione Keilii legitur *ne-quidem*.

Duabus negationibus conjunctis acrior fit negatio. Dabunt operam ne a me pecuniam [non] nisi dignus accipiat 4, 13, 8. (Talis negationum conjunctio apud Ciceronem rarior est, apud Livium et poëtas frequentior. (Cfr. H. *non*, Pag. 267. Kühnast, l. l. Pag. 352).

Adeo non, ut jam inde a Livii ætate eadem fere significatione dicitur, qua *tantum abest*, *ut*. Oculorum et aurium voluptates *adeo non* egent commendatione, *ut* non tam incitari debeant oratione quam reprimi 1, 8, 10. 7, 17, 14. 10, 8 (24), 5. (H. *adeo*, Pag. 141).

Ad extremum commemorandum est Plinium *nec non* fere pro *et* dixisse, id quod non est omnino inusitatum veteribus scriptoribus. *Nec non* alii pueri dextra lævaque simul eunt 9, 33, 7. (Madvig ad Cic. Fin. 1, 17, 55).

Sed non et idem significat, quod *non item*. Alium toga, *sed non et* arma honestarunt Pan. 4. (*Sed et* jam non legi in libris Ciceronis et Cæsaris, affirmavit Dræger, l. l. Pag. 42).

Particulæ copulativæ. *Et* apud Plinium sexcentis locis ponitur pro *etiam*, velut: Sæpe ipse mecum, nobisne tantum conposuisse an *et* aliis debeamus 1, 8, 7. 12. 1, 15, 3. 1, 20, 22. 2, 5, 8. 2, 8, 2. 7, 30, 3. 7, 33, 8. 8, 4, 3. 9, 1, 4. Pan. 54. 60. Tanto graviores injurias, quanto *et* infirmior, patitur 10, 77 (81), 2. Est *et* alia turris 2, 17, 13. Dupli vel *et* quadrupli inrogatione multaret Pan. 40. Reddam *et* si non reposces 2, 9, 6. 8, 17, 6. Nisi *et* non recusaveris Pan. 59. 60.

Et ipse. Quæ *et ipsa* inter reos erat 3, 9, 20. 5, 10 (11), 2. 6, 8, 4. Pan. 83. al. (Madvig ad Cic. Fin. 5, 22, 64).

---

[1]) Hand. Turs. s. v. *nec* Pag. 122 hunc locum vult corrigi.

[2]) Cfr. præclaram de hoc usu vocabuli expositionem Madvigii, Cic. Fin. Excurs. 3, Pag. 802, sequ.

Et pro particula temporali ponitur, ut apud Cæs. B. C. 3, 9, 8. al. Sall. Liv. poëtas. Nondum annos quattuordecim impleverat, *et* jam illi anilis prudentia 5, 16, 2. Cfr. 3, 16, 9. 5, 13 (14), 8. 6, 20, 6. Vix consideramus, *et* nox 6, 20, 14. 7, 27, 13. 7, 33, 7. (H. s. v. *et*, Pag. 482).

Et dum. Magnis nominibus pares se faciant, *et dum* recusant Pan. 84. Tu *et dum* accipis meruisti Pan. 64. (Hand. *et* Pag. 521 injuria negat, latine dici *et dum* [1]).

Et necdum. *Et necdum* (i. e. nondum) imperator eras Pan. 14. *Et necdum* de biennio loquor Pan. 56. (Tac. Col. Pallad. H. *necdum*, Pag. 148. Dræger, l. l. Pag. 40. Quum *necdum* (i. e. nondum) legitur apud Varr. R. R. 1, 23, 3).

Et minus usitate ponitur post imperativum. Circumfer oculos, *et* occurrent 9, 11, 1. Tene, Cæsar, hunc cursum, *et* probabitur experimento cet. Pan. 43. (H. *et* Pag. 485).

Et abesse contra consuetudinem optimorum scriptorum videtur. Erant multa clarissima ingenia 7, 20, 4. (Krüger, "Lat. Grammat.", § 297, 1. Loco illo Cic. Acad. 1, 6, 23, quem Hand. s. v. *et* Pag. 476 attulit, nunc legitur "multorum magnorumque."

Que-que pro *et-et* dicitur. *Quosque* repudiasset *quosque* gessisset 8, 6, 14. (Apud poëtas et Livium satis frequens est hic usus. Copiose de usu particulæ *que* apud Plinium disputavit Geisler, Philolog. 10 Jahrg. 1855).

Et-quoque conjunguntur. Cantatur etiam *et* a Græcis *quoque* 7, 4, 9. (Hic usus a Livii ætate hic illic invenitur. Dræger, l. l. Pag. 40).

Quoque in sententia negativa ab omnibus scriptoribus raro ponitur. Mei *quoque nusquam* salubrius degunt 5, 6, 46. 9, 7, 1. (Dræger, l. l. Pag. 40. Cfr. Cæs. B. G. 5, 52, 1. B. C. 1, 5, 1, ubi "etiam" in negativa sententia positum est).

Quoque i. s. q. *vel*, *adeo*, *ipsum*, quem usum argenteæ ætatis esse proprium, affirmavit Doering ad Plin. Ep. 3, 7, 15, ubi legitur: Me tui caritas evocat, ut currentem *quoque* instigem.

Particula vel cum *præcipue* adverbio conjungitur, ut apud Quintilianum. Id tu cum incredibili quadam suavitate sermonum tum *vel præcipue* stilo adsequeris 4, 3, 2. 5, 3, 6. 6, 12, 3. (Hand. *præcipue*, Pag. 530).

---

[1]) De particula *et* pro *etiam* posita cfr. Nägelsbach, l. l. Pag. 246. Seyffert, Pal. Cic. Pag. 83. 29. Hand. s. v., Pag. 499, sequ., maximeque Anton, l. l. Pag. 34, sequ.

Particulæ adversativæ. *Ceterum* particulæ adversativæ loco ponitur apud Plinium et æquales, ut jam apud Sall. et Liv. Illa quidem (turba), ut tunc arbitrabatur deum, *ceterum*, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem Pan. 5. 76. al. (Sall. Liv. post. Dræger, l. l. Pag. 6. H. s. v. Pag. 35).

Sed et jam non exstat apud Ciceronem et Cæsarem. Nec animos modo *sed et* corpora languescere Pan. 18.

Particula enim conjungitur cum *nempe* apud argenteæ ætatis scriptores, velut apud Quint. et Tac. *Nempe enim* hi sunt, quos senatus elegit Pan. 62. Cfr. 3, 16, 8. (H. *nempe*, Pag. 165. Injuria Dræger l. l. Pag. 44 ἀπ. εἰρ. esse dixit).

Particulæ comparativæ. *Aeque quam* dicitur, ut apud Plaut. Liv. post. Mihi *æque* jucunda erit simplicitas dissentientis, *quam* conprobantis auctoritas 3, 4, 9. Eodem modo dicitur: *Alius quam* 2, 4, 1. 7, 15, 2. Pan. 58. *Perinde quam* 6, 8, 9. Frequentius est *quam* post *æque* in sententia negativa positum 2, 15, 1. *Nihil æque ac* 5, 8, 2. *Non secus ac* 7, 1, 6. (Cfr. Dræger, l. l. Pag. 59. Hand. *æque* Pag. 191).

Juxta-et, ut jam apud Sall. et Liv., dicitur. Patientia corporis hiemes *juxta et* æstates ferat 3, 11, 6. (H. *juxta* 539. Reisig, l. l. Pag. 416).

Aeque-ut dicitur contra morem veterum scriptorum. Nihil *æque* in causis agendis *ut* brevitas placet 1, 20, 1. (Madv. ad Cic. Fin. 1, 20, 67).

Perinde-prout apud Plinium et æquales nonnullos, velut apud Sen. et Quint., usurpatur. Meminerimus *perinde* conjecturam de moribus suis homines esse facturos, *prout* hoc vel illud elegerint Pan. 20. (H. *perinde* 459). Neque *prout-ita* videtur in usu fuisse apud veteres scriptores, sed apud Plinium, sicut apud Cels. Plin. maj. Sen. exstat. Honesta consilia vel turpia, *prout* male aut prospere cedunt, *ita* vel probantur vel reprehenduntur 5, 9 (21), 7. (H. *prout* Pag. 627).

Tamquam de re vera usurpatur pro *ut*, id quod rarum esse apud veteres scriptores affirmavit Madvig, "Lat. Sprachl." § 444, Ann. 1. Commendabat actionem quod *tamquam* homo Romanus et bonus civis in negotio suo mature et graviter loquebatur 4, 22, 2. Cfr. 3, 9, 36. 7, 28, 1, ubi causalem vim habet. (Cfr. Dræger, l. l. Pag. 59).

Perquam a Plinio usurpatur non solum cum adjectivis conjunctum (2, 11, 13. 3, 4, 3. Pan. 60), ut apud alios scriptores, sed etiam cum

verbo, quod est *velle*. Perquam *velim* scire, esse phantasmata 7, 27, 1. (ἀπ. εἰρ. videtur esse. H. s. v., Pag. 466).

Quantum ad (Cfr. Franc. Gall. *Quant à*) eadem significatione dicitur, qua *quod attinet ad*, ut jam apud Ovidium A. A. 1, 744. *Quantum ad* porticus 9, 39, 5. Cfr. *Quantum ad* principem, licet tales consules agere Pan. 93. (Senecæ locos multos Rosengren, l. l. Pag. 61, Tac. locos Dræger, l. l. Pag. 60 attulit).

Si minus usitate nonnumquam ponitur pro inf. et in sententiis pro interrogativis positis, velut: Delectat si 9, 17, 2. Indignum si Pan. 77. Sufficere si 5, 1, 9. Pan. 88. (Sic latine dici, injuria negavit Krebs, Antib. s. v. "sufficere"). Cogitare si 5, 8, 3. (Madvig, "Lat. Sprachl." 451, d).

Si quis, *si quando* pro eo, quod est *si quisquam*, *si umquam*, usurpavit, quod rarum est apud optimos scriptores. *Si quid* omnino, hoc certe judicio facio 4, 15, 1. *Si quando* urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret 1, 10, 1. 6, 6, 1. (Cic. Flacc. 4, 9. Liv. 23, 22, 9).

Si non eodem modo usurpatur, quo *sin minus*, id quod apud optimos scriptores satis rarum est, quamquam non desunt exempla (Cic. Fam. 7, 3, 5. Liv. 28, 29, 4. Cat. Varr. Plaut.). Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur; *si non*, liber legitur 3, 1, 4.

Nisi ut eadem significatione dicitur, qua *ut non*. Neque enim jam inchoari poterat actio, *nisi ut* noctis interventu scinderetur 2, 11, 16. 3, 12, 4. Pan. 88. (Quint. Tac. Suet. Dræger, l. l. Pag. 62).

Particulæ *non nisi* apud argenteæ ætatis scriptores sæpe componuntur, nullo interposito vocabulo. Dari *non nisi* a dis potest 4, 8, 6. 4, 13, 8. 4, 29, 3. Pan. 22. 45. 58. (Ov. Trist. 3, 12, 35. post.).

Ut minus usitate subjungitur locutionibus nonnullis, velut: Facile est 8, 6, 17. Pan. 44. 87. Difficile est 4, 15, 7. 7, 17, 6. Insolitum est Pan. 60. Naturale est 4, 17, 3. Parum est Pan. 60. (Cfr. Madvig, "Lat. Sprachl." § 374, Ann. 2 eundemque ad Cic. Fin. Pag. 144, sequ.). Confidere 2, 5, 7. Congruere 7, 2, 1. Injungere 3, 18, 1. 4, 9, 4. Sinere 2, 2, 3. (Madvig, "Lat. Sprachl." § 372 b, Ann. 2). Stare per aliquem 10, 6 (22), 2. Sufficere 9, 21, 3. Pan. 30. (Sufficere, ne 9, 33, 11).

Ne particula verbo *cupiendi* subjungitur 5, 17, 6. (Ov. Her. 6, 6). (Cupere, ut 10, 47 (56), 1. Klotz in lexico solum auctorem laudavit Plaut.). Dispicere, ne 2, 10, 5 (prægn.). (Dispicere, num 7, 33, 5),

Favere. ne 5, 17, 6. (prægn.). (Favere, ut 6, 25, 5). Opus esse, ne 7, 6, 3. (Plaut.).

Ne pro *ut ne* positum est. Hoc temperamentum modestiæ suæ indixerit, *ne* præcipere videatur 3, 1, 6. Pan. 69. (Madvig ad Cic. Fin., Pag. 252).

Quominus insolenter subjungitur locutionibus, quæ sunt *in causa esse, in animum inducere.* Hoc *in causa fuit*, *quominus* statim revocandos putarem 10, 21 (32). (Liv. 34, 56, 9. 11). Non sustinui *inducere in animum quominus* illi indicarem 9, 13, 6.

Quod insolenter nonnumquam usurpavit, velut: *Adde quod* 8, 14, 3. Pan. 38. (Poët. Liv. 9, 19, 6. Asin. Poll. ap. Cic. Fam. 10, 31, 4. post.). Cfr. *Addam, quod* 3, 14, 6. *Addiderunt quod* 3, 9, 6. Eodem modo dicitur: *Adice quod* Pan. 53. (Quint. Sen.).

Excepto quod idem significat, quod *præterquam quod.* Iter commode explicui, *excepto quod* quidam ex meis adversam valetudinem contraxerunt 8, 1, 1. (Hor. Ep. 1, 10, 50. Quint.). Nec silentio prætereundum est Plinium dixisse: *Adnotatum* est, *quod* 2, 11, 6. *Juvat* me, *quod* pro acc. c. inf. 1, 13, 1. 5, 13 (14), 8. 8, 6, 17.

Habet hoc sollicitudo, *quod* omnia necessaria putat 6, 9, 2. Pan. 45. 83. (Apud Cic. particula *ut* sequi solet, velut Pis. 32, 81).

Hactenus quod raro dicitur apud optimos scriptores pro *hactenus ut* 9, 15, 3. (Cic. Nat. Deor. 1, 10, 24).

Quod de tempore usurpatur pro *cum* particula. Tertius dies est, *quod* audivi recitantem Augurinum 4, 27, 1. (Plaut. Ter.).

Quatenus vim causalem habet, *ut* apud Ov. Hor. post. Cur non Homericis versibus agam tecum? *quatenus* tu me tuis agere non pateris 1, 7, 5. 3, 7, 14.

An particula innumerabilibus locis legitur, ubi *num* exspectamus, velut post hæc verba et locutiones. Consulere 1, 23, 1. 9, 13, 5. Cunctari 6, 16, 11. Non curo 6, 31, 11. Deliberare 5, 9 (21), 5. 9, 13, 6. Discere 8, 14, 24. Dispicere 10, 17 (28), 5. 10, 33 (42), 3. 10, 77 (81), 2. 10, 112 (113), 3. Dubium esse 7, 10, 3. Dubitare 2, 4, 1. 3, 9, 17. 6, 27, 5. 9, 2, 5. Examinare 2, 19, 9. Experiri 3, 14, 2. 6, 1, 2. Pan. 59. Inspicere 2, 20, 11. Interrogare 2, 6, 3. 10, 56 (64), 4. 10, 96 (97), 3. Pan. 64. Judicare 2, 5, 11. Liquere 2, 2, 1. Nuntiare 1, 13, 2. Quærere 6, 29, 8. 7, 11, 1. 7, 19, 5. 9, 28, 5. 10, 79 (83), 3. Referre 6, 5, 2. Scribere 10, 45 (54). 10,

116 (117), 1. In obscuro esse 8, 14, 11. In tua potestate est Pan. 73. Frequentissime sic usurpatur *nescio an*, cui locutioni apud veteres scriptores affirmandi quædam vis subjecta solet esse, apud Plinium vero et æquales dubitandi vel etiam negandi vis inest. *Nescio an* adiciam esse patri ejus amplas facultates 1, 14, 9. 2, 12, 1. 4, 11, 8. 4, 15, 6. 5, 3, 7. 7, 12, 2. 7, 19, 4. 8, 14, 24. Nescio *an* ullum jucundius tempus exegerim 3, 1, 1.

An per ellipsin usurpatur. Septem *an* octo 6, 13, 5. (Tales locutiones raræ sunt, quamquam exstant etiam apud Ciceronem. Cfr. Madvig ad Cic. Fin. 2, 32, 104).

Quod omnes fere grammatici præcipiunt, verbo *dubitandi* in affirmativa sententia posito adjungi enuntiationem per *num* particulam inductam, id quidem rarissimum est [1]). Dubito *num* idem tibi suadere quod mihi debeam 6, 27, 2. Legitur etiam Quint. I. O. 6, 1, 3, non ut est in omnibus lexicis 9, 1, 3. "Licet et dubitare, num quid nos fugerit." Cfr. præterea Ov. Met. 13, 940, quamquam ibi pro absolute, ut aiunt, posito verbum "dubitandi" potest haberi.

De Præpositionibus.

Ad. *Ad hoc* sæpissime a Plinio usurpatur eadem significatione, qua *præterea*, velut: 1, 10, 6. 1, 22, 4. 2, 11, 10. 2, 14, 2. 6, 33, 4. 8, 1, 3. 8, 23, 2. Pan. 4. 10. 48. al. (Sall. Liv. Tac. post. H. s. v., Pag. 123).

Cogere ad sequ. acc. substantivi non solum apud Liv. Sen. Tac., ut contendit Krebs s. v. *cogere*, sed etiam Sall. Jug. 85, 3 et apud poëtas. *Ad* omne proconsulum *imperium cogi* 3, 9, 15.

Ad verbum inusitatam vim habet 9, 36, 2, de qua significatione vide Hand. Turs. s. v. *ad*, Pag. 130.

Quantum ad me pertinet Pan. 3. (Veteres dicebant "quod ad me attinet"). Cfr. *Quantum ad te pertinet* Pan. 9. *Quod ad sepultos pertineret* 10, 81 (85), 6. (Cic. Planc. 3, 7: "Quod ad populum pertinet." Cæs. B. C. 3, 17, 3. Nonnullos Senecæ locos attulit Rosengren, l. l. Pag. 37).

Ante. *Habere ante oculos* apud Plinium dicitur, quemadmodum apud Sen. Ep. 1, 11, 8. Just. 5, 6, 1. *Habe ante oculos* mortalitatem 2, 10, 4. 8, 24, 4. (Veteres dicebant "proponere, ponere ante oculos").

---

[1]) Cfr. Nägelsbachs Gymnasialpädagogik, herausgegeben von Autenrieth, Pag. 107: "Dubito num ist verwerflich; es kommt wohl nur ein mal vor."

Multum de nocte vel *ante* vel *post* diem sumitur 9, 40, 2. Cfr. Basilicæ *circa*, porticus *supra* caveam 10, 39 (48), 3. (Liv. 39, 4, 9. Nägelsbach, l. l. Pag. 348. Sic satis raro duæ præpositiones cum eodem substantivo junguntur).

Circa apud Plinium aliosque argenteæ ætatis scriptores usurpatur 1) de tempore, sicut apud Livium et poëtas. *Circa* idus octobres spero Romæ futurum 1, 7, 4. *Circa* horam primam 9, 36, 1. (H. s. v., Pag. 64). 2) idem significat quod *de*, *in*, *ad*. *Circa* Classicum quidem brevis et expeditus labor 3, 9, 13. 14. 4, 24, 4. 5, 13 (14), 1. 6, 21, 6. Cfr. Nullum *circa* hospitia fastidium Pan. 20. Cfr. 9, 13, 1. Cum *gerundivo* eadem significatione conjungitur. *Circa* tuendos socios Pan. 95. (Arg. æt. H. s. v., Pag. 66. Paulo alia est ratio locorum Livii 27, 27, 12. 36, 7, 1, quos quidam in eodem genere posuerunt).

Citra i. s. q. *sine*. Solebant ei manus tremere, *citra* dolorem tamen 2, 1, 4. (Arg. æt. H. s. v., Pag. 85).

Erga insolenter de rebus ponitur concinnitatis causa. Magnum tuum non erga homines modo sed *erga* tecta ipsa meritum Pan. 50. (Tac. Ammian. H. s. v., Pag. 438).

De. Inde annona, *de* qua inter licentem vendentemque conveniat Pan. 29. (Multo frequentior est apud veteres scriptores nominativus subjecti, sed exstat tamen illa quoque locutio, velut apud Livium 42, 25, 11).

Ex. *Ex causa* frequentissime apud Plinium dicitur pro eo, quod est *de causa*. Quibus *ex causis* necesse est mortem ejus defleam 2, 1, 10. Cfr. 1, 2, 6. 1, 8, 7. 1, 13, 6. 2, 5, 12. 5, 19, 7. 6, 6, 8. 6, 27, 5. 7, 11, 2. 7, 30, 4. 10, 3 (20), 2. 10, 68 (73). Quibus *de causis* exstat 10, 114 (115), 1. (Rarius sic locuti sunt optimi scriptores, sed cfr. tamen Cic. Rep. 2, 7, 13).

Ex more, quod apud Plinium nonnullis locis legitur, Ciceronem umquam dixisse, negavit Hand. Turs. *ex*, Pag. 652. Atrium etiam *ex more* veterum 5, 6, 15. Cfr. 3, 18, 1. (Ter. Ov. Sall. post.). Eadem significatione dicitur *de more*. Tibi ascendenti *de more* Capitolium Pan. 5. (Verg. Ov. post. H. s. v. *de*, Pag. 215).

Ex occasione i. s. q. *occasione oblata*, quod ipsum apud Plinium exstat 7, 32, 1. Ais quosdam apud te reprehendisse, tamquam amicos meos *ex omni occasione* laudem 7, 28, 1. 7, 12, 3. Pan. 16. (Tac. Suet. H. s. v., Pag. 642).

Ex libello insolenter usurpatur, de qua locutione vide Hand. Turs. s. v., Pag. 627. Celsus Nepoti *ex libello* respondit et Celso Nepos *ex pugillaribus* 6, 5, 6.

In sequ. acc. in locutionibus nonnullis minus usitatis ponitur, velut: Magna laude dignum amicitia principis *in hoc* uti 1, 17, 2. (H. l. *in* particula finalem quandam vim habet. Cfr. Hor. Epod. 17, 63. Liv. 23, 2, 9. H. s. v., Pag. 320). Præterea dignæ, quæ commemorentur, locutiones sunt: *In* honorem 6, 27, 1. 7, 24, 7, 10, 8 (24), 2. (Veteres scriptores sic locuti esse non videntur). *In* gratiam Pan. 7. (Liv. multis locis). *In* contumeliam Pan. 11. *In* memoriam 3, 3, 1. (Cic. Brut. 16, 62 "ad m."). *In* excusationem vel etiam commendationem 4, 17, 11. *In* remedium formidinis 6, 16, 13. *In* speciem 2, 17, 8. *In* venerationem Pan. 54. (H. s. v., Pag. 318).

Consecutivam quandam vim habet: *In* majus extollat 3, 11, 1. (Liv. 28, 31, 4. Sall. Jug. 73, 5 "in majus celebrare." Liv. 4, 1, 5 "in majus accipere", al.). *In* melius aberrare 4, 28, 3. 10, 70 (75), 1. Reficienda ædes Cereris *in* melius et in majus 9, 39, 1. Corrumpi *in* deterius 5, 3, 6. Cfr. 4, 18, 1. *In* pejus effingunt 5, 15 (10), 1. *In* quantum potuerit 10, 70 (75), 4. Pan. 68. 83. (Ov. Met. 11, 71). *In tantum* diligo optimum principem, *in quantum* invisus pessimo fui Pan. 95. (Verg. Aen. 6, 876. H. s. v. *in*, Pag. 330—333).

Damnatus in metallum 2, 11, 8. 10, 58 (66), 3. *In opus damnati* 10, 31 (40), 2. (Plin. maj. Suet. Dig.).

In sequ. abl. *In causa* esse. Quidquid *in causa* 6, 1, 2. 6, 10, 3. 7, 5, 1. 10, 39 (48), 2. (Liv. 40, 26, 5. post. Injuria Cic., Fam. 1, 1, 2, auctor laudatus est). *In fine* orationis Pan. 94. *In* principatus *fine* Pan. 57. *In fine* votorum Pan. 72. *In fine* sententiæ 2, 11, 19. (Quint. I. O. 9, 4, 102. Veteres dicebant "in extrema oratione", tal.). Absolute dixit *in fine* eadem significatione, qua *ad extremum*. *In fine* dixit 5, 13 (14), 7. 4, 13, 2. 9, 13, 23. 9, 28, 4. Cfr. *In fine* cubiculum 5, 6, 30.

In summa apud Plinium sæpe idem significat, quod *ut paucis complectar*, *ne longus sim*, tal. *In summa* non facile quemquam huic viro comparabis 1, 22, 6. Cfr. 1, 12, 12. 1, 14, 6. 1, 15, 4. 2, 11, 25. 3, 4, 8. 5, 6, 42. 6, 6, 9. 6, 8, 8. 6, 21, 7. 6, 33, 11. 8, 4, 8. 8, 8, 7. 8, 18, 2. 9, 21, 1. (Cfr. Quint. 9, 2, 72. H. s. v., Pag. 264).

Inter hæc i. fere s. q. *præterea* 6, 11, 2. Pan. 81. *Inter* ista 10, 86 (18), 1. Pan. 74. *Inter* alia 3, 16, 10. (H. s. v., Pag. 402). *Inter* quos 10, 4 (3), 1. (Anton, l. l. Pag. 88). *Inter* propinquos amandum 7, 24, 2. (H. s. v., Pag. 394). *Inter manus* habere 2, 5, 2. 5, 5, 7. (H. s. v., Pag. 388). *Inter moras* 9, 13, 20. (Suet. Flor. Sall. Jug. 74, 2. H. s. v. 403).

Vix opus est me commemorare, Plinium dixisse: Dividere *inter* 4, 9, 9. Distribuere *inter* 10, 54 (62), 2. Numerari *inter* 4, 15, 1.

5, 3, 6. 6, 15, 1. 6, 21, 4. 8, 12, 1. Pan. 27. 80. 95, quoniam tales locutiones apud veteres quoque scriptores exstant.

Inter post pronomen positum est. Has *inter* (silvas) pingues terrenique colles 5, 6, 8 (H. s. v., Pag. 408).

Intra. Se *intra silentium* tenuit 4, 17, 8. 7, 6, 6. Cfr. 9, 23, 1. (H. s. v. 433). Cum affirmetis *intra vos* futura 3, 10, 4. (H. s. v. 436).

Ob. *Ob hoc* i. s. q. *ideo.* 1, 10, 11. 4, 8, 4. 5, 19, 6. 6, 1, 2. 7, 3, 3. 7, 7, 2. 10, 29 (38), 2. 10, 49 (58), 1. 10, 75 (79), 2. (Sall. Liv. post.). Cfr. *Ob alia* 2, 3, 8. 3, 16, 3. Simili modo dicitur: *Propter id* 7, 18, 3. *Propter hoc* 10, 96 (97), 5.

Per. *Per hoc* i. s. q. *eo*, *propterea* 3, 9, 20. 7, 18, 3. 8, 2, 7. 8, 10, 1. 10, 70 (75), 1. *Per hæc* 3, 16, 13. 6, 34, 3. *Per quod* i. s. q. *quo* 10, 56 (64), 5. 10, 79 (83), 5 (H. s. v., Pag. 445).

Per vices i. s. q. *vicissim* 1, 3, 1. 8, 14, 4. (Poët. post.).

Per ora ferri 2, 10, 2. (Poët. Cfr. Sall. Jug. 31, 10: "Per ora incedere").

Post. *Post hoc* i. s. q. *postea* 5, 1, 6. *Post hæc* Pan. 31. (Poët. post. H. s. v. 495).

Præter id quod i. s. q. *præterquam quod* 5, 8, 13. Pan. 59. (H. s. v., Pag. 543).

Pro præpositione insolenter usus est in his locutionibus: Timere pro 3, 17, 3. (Brut. ap. Cic. Ep. Brut. 1, 16, 2. Curt. 6, 10, 27. Sen. Ep. 2, 2 (14), 1. 18. 14, 2 (90), 43. Cfr. Liv. 2, 24. 4. "Metum pro universa republica"). Metum *pro* aliquo ponere 5, 6, 3. Cfr. 5, 17, 5. 5, 19, 5. Terreri *pro* 5, 5. 7. Irasci *pro* 6, 8, 9. Suspensus *pro* 8, 5, 3. Anxius *pro* 4, 21, 4. (Ov. Met. 1, 182. Cfr. Liv. 38, 9, 4. "Sollicitus pro"). Securitatem *pro* 7, 6, 14.

Sub. *Sub* condicione 4, 13, 10. 8, 18, 4. (Jam apud Liv. 6, 40, 8. 21, 12, 4 exstat et apud Cic. Arch. 10, 25, si lectio vera est). *Sub* exceptione 1, 2, 5 (Suet. Cæs. 78). *Sub* exemplo 1, 18, 5. 2, 6, 6. 3, 18, 2. 6, 5, 2. Pan. 53. 76. *Sub* invidia 6, 2, 3. (Liv. 24, 25, 2). *Sub* nomine 5, 11 (12), 1. Cfr. Pan. 50. (Liv. 1, 36, 7. 43, 16, 6). *Sub* titulo Pan. 4. (Liv. 2, 56, 3). Cfr. *Sub* inscriptione 8, 6, 1. *Sub* hac modestia Pan. 83. Tales locutiones, quas Holstenius solis argenteæ ætatis scriptoribus tribuit, a Livii ætate satis crebræ sunt.

Super i. s. q. *præter.* *Super hæc* 4, 26, 2. 8, 4, 2. Pan. 74. *Super ista* 5, 5, 2. 9, 25, 2. *Super illa* 5, 6, 45. *Super cetera* 8, 4, 7. *Super ea* Pan. 75. (Satis frequentes sunt jam inde a Livii ætate tales locutiones). (Saxa) *alia super alia* dejecta 6, 31, 16. 7, 8, 1. 10, 88 (89). Pan. 14. (Liv. 1, 50, 6 aliisque multis locis).

Super de præstantia usurpatur, ut nonnumquam apud Liv. (31, 18, 3). *Super* omnes beatus 7, 13, 2. *Super* omnia est quod Pan. 26. Tantum *super* ceteros Pan. 61. *Super* omnia prædicandum Pan. 93.

Super cenam Plinius dixit eadem significatione, qua *inter cenam* Cfr. 4, 22, 6. 3, 5, 11. 9, 33, 1. (Suet. Curt. Flor.).

Super eadem significatione qua *de* non ita sæpe exstat apud veteres scriptores (Cic. Att. 10, 8, 10. 14, 22, 2. Sall. Jug. 71, 5. Liv. 2, 4, 4, al.). *Super* tanta re dicendum erat 2, 11, 11.

Invitus hæc adjectiva a græco sermone assumpta omisi, quamobrem hic addantur:

Iselasticus (ἀπ. εἰρ.). *Iselastica* dicebantur certamina quædam, in quibus qui vicerant, iis licebat quadrigis in patriam urbem invehi, et obsonia quædam iis dabantur. Obsonia petunt pro eo agone qui a te *iselasticus* factus est 10, 118 (119), 2. 1. (Suet. Cal. 20, quem locum Klotz laudavit, in editione Rothii legitur "asticos." Cfr. quæ de illis certaminibus disputavit Vitr. Præf. 9).

Lyrica. Hæc vox substantive apud Plinium solum videtur posita esse. Scribit, et quidem utraque lingua, *lyrica* (int. carmina) doctissime 3, 1, 7. 7, 17, 3. 9, 22, 2. (Adjectivo Ov. et Hor. usi sunt).

Lyrici. *Lyricos* (int. poëtas) lego 5, 3, 2. (Sen. Ep. 5, 9 (49), 5. Quint.).

Opisthographus. *Opisthographum* dicebatur volumen, cujus charta in tergo i. e. in aversa parte contra consuetudinem inscripta erat. Commentarios mihi reliquit *opisthographos* 3, 5, 17 (Dig.).

Scholasticus. *Scholasticæ* argentea ætate dicebantur illæ in ludis litterarum exercitationes, quas Cicero dicebat *umbratiles;* quique in talibus exercitationibus versabatur, eum *scholasticum* appellabant. Nisi forte volumus *scholasticas* tibi litteras mittere 9, 2, 3. Cfr. 2, 20, 9. *Scholasticis* dominis sufficit tantum soli 1, 24, 4. 2, 3, 5, (Quint. Tac. Petr.).